

C 2239

Lites ac Res gestae

inter

Polonos Ordinemque Cruciferorum.

Supplementum

quo continetur causa inter Wladislaum, regem Poloniae, et Cruciferos anno 1320 acta.

✂

Ad fidem autographi Archivi Regii Regiomontani.

POSNANIAE.

SUMPTIBUS BIBLIOTHECAE KÖRNIGENSIS.

1880.

Lites ac Res gestae

inter

Polonos Ordinemque Cruciferorum.

Supplementum

quo continetur causa inter Wladislaum, regem Poloniae, et Cruciferos anno 1320 acta.

A. 709.



Ad fidem autographi Archivi Regii Regiomontani.

POSNANIAE.

SUMPTIBUS BIBLIOTHECAE KORNICENSIS.

1880.

Bv 56965
643001 III

C 2239



3.

2011-03-04

Quod hodie in lucem prodit Supplementum, maxima ex parte jam per Ill. b. m. Titum comitem Działyński exaratum necdum ad finem productum est, quum Ill. editor, consilio mutato, Supplementi loco totum totum quartum operis, quod Lites ac res gestae inter Polonos ordinemque Cruciferorum est inscriptum, typis mandare constituisset. Sed mors praematura consilium hoc ad irritum redegit. Quum vero, quae jam quidem typis expressa sed oblivione obruta erant, nuper essent reperta, Ill. Joannes comes Działyński, Ill. comitis Titi filius, ipse de literis optime meritus, hanc patris sui nondum perfectam operam supplere et die Joanni Longino sacro in lucem producere constituit. Quod quidem inmandatum ex ultimis erat, quae ab Ill. illo fautore meo et benefactore accepi. Mors praematura, qua illum die 30 Martii h. a. abreptum simul cum tota Polonia vehementer doleo, prohibuit, quominus ipse diem illum videret. Sacram mihi voluntatem Ill. comitis Joannis Działyński expleturus, quae adhuc deerant typis exprimenda curavi idque Supplementum, instar Illustrissimi mortui hereditatis simulque memoriae Ill. patris illius comitis Titi Działyński, Bibliothecae Kornicensis, cui praesum, nomine, huic Ill. virorum rebus Polonicis operam navantium et intra muros Cracoviae historiographiae Polonicae patris solemnia celebrantium congressui sacrum esse volo.

Die XIX m. Maji a. 1880.

Dr. Sigismundus Celichowski.



In nomine Ihesu Christi amen.

Hec est copia actorum coram venerabilibus ¹⁾ patribus, dominis Janislao Gneznensis archiepiscopo et Domarato Poznaniensis episcopo ecclesiarum, et fratre Nicholao abbate de Mogylna ord. beati Benedicti, iudicibus in causa, que inter... P... dominum Wladislaum regem Polonie ex parte una, et religiosos uiros, magistrum et fratres domus sancte Marie Theutonicorum super terra Pomoranie ex altera parte vertitur, a sede delegatis apostolica, actitatorum.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis eiusdem M^o CCC^o vicesimo, in crastino do- Aprilis 14.
minice Misericordia domini, in capella s. Nicholai ante altare chori, in Juveni Wladislavia, post vesperam in mei notarii et testium subscriptorum presentia, honorabilibus viris domino... Philippo cancellario regni Polonie, Sbyschone Subcancellario Cracoviensis et Johanne Rudensis ecclesiarum canonicis, ex parte una, illustris principis domini Wladislai regis Polonie, atque religioso viro, fratre Syffrido, presbytero ordinis fratrum theutonicorum per Prussiam, ex parte altera nobilis ac religiosi viri, fratris Frederici preceptoris et magistri fratrum theutonicorum procuratoribus, ut prima facie videbatur, coram venerabilibus patribus, domino Janislao Gneznensis archiepiscopo et Domarato Posnaniensi episcopo ecclesiarum, iudicibus... deputatis... frater Syffridus protestatus est, quod per eius comparentiam... fatetur, dictorum dominorum iudicum non... intenderet subire... iudices approbare, unde coram eis non tamquam iudicibus... asseruit... comparere, salvis omnibus excepcionibus, dilatoriis, declinatoriis perempt... protestationem ad acta reponi. Pars vero alia in... videlicet hoc... facere, requir...; dictus igitur frater Syffridus... cuius tenor est talis ²⁾:

In nomine domini Amen. Noverint universi praesentem literam inspecturi, quod nos frater Fridericus, preceptor et magister fratrum theutonicorum domus sancte Marie per Prussiam et Pomoraniem, in causa vel causis, que nobis et fratribus ordinis nostri moventur, et specialiter in causis, que moventur vel moveri sperantur fratribus nostris commendatoribus domorum in Gdanczk, in Gmeua, in Swiecie coram venerabilibus patribus, dominis Janislao archiepiscopo sancte Gneznensis ecclesie, Domarato Posnaniensis ecclesie episcopo, et fratre Nicholao abbate

¹⁾ Quae his literis scripta sunt, in tabula manuscripta vetustate vel situ aut tota aut ex parte exstincta, aut coniectura aut ex aliis apographis restitui.

²⁾ Typis exc. in Dogiel cod. dipl. IV. p. 44. Lites I. p. 56.

de Mogylno ordinis s. *Benedicti specialiter evocatis*, qui se asserunt iudices a sede apostolica delegatos, aut quibuscumque subdelegatis ab eis, de *consensu fratrum nostrorum facimus et constituimus* dominum Syffridum, fratrem ordinis nostri sacerdotem presentem, et mandatum *in se sponte suscipientem, nostrum et praedictorum de Gdancz, Gmeua et de Swecze commendatorum procuratorem, concedentes eidem liberam potestatem agendi, defendendi, litterarum apostolicarum copiam cum debita ad deliberandum dilatione petendi, excipiendi et contradicendi, litem contestandi, in animam nostram et eorum iurandi, vestes et instrumenta et alias probationes producendi, concludendi, interlocutoriam et diffinitivam sententias audiendi, et ab eis et earum qualibet, quando sibi videbitur, appellandi, apostolos petendi, ab appellatione recedendi, quando sibi videbitur expedire apellationem prosequendi, alium vel alios procuratorem vel procuratores substituendi, in solidum vel divisim ad omnia supradicta et vel quodlibet premissorum, substitutionem vel substitutos revocandi, quando et quotiens sibi videbitur expedire*¹⁾, et generaliter omnia et singula faciendi, que debet et potest verus atque legitimus facere procurator eciam si mandatum exigant speciale; raturum habituri quidquid per ipsum procuratorem nostrum vel quemcumque substitutum ab eo factum fuerit in premissis et quolibet premissorum; renunciantes omni sollempnitati iuris vel facti, qua obmissa presens procuratorium impugnari posset, vel quomodolibet suggillari, promittentes sub ypotheca bonorum nostrorum pro ipso procuratore nostro vel quolibet substituto ab eo, iudicio²⁾ sisti et iudicatum solvi, si litem subierit coram dominis supradictis agendo, vel eciam defendendo; et hoc tam eisdem dominis, qui se dicunt iudices delegatos, quam parti, cuius intererit, ostensione presencium volumus esse notum. In cuius facti evidenciam plenior presentem litteram inde conscriptam nostro sigillo duximus consignandam. Datum anno domini

Aprilis 10. M^o CCC^o XX^o quarto ydus aprilis, presentibus viris discretis et honestis, dominis Jordano preposito Warmiensis ecclesie, magistro Friderico doctore decretorum canonico Glogoviensi, et Johanne rectore ecclesie culmensis, et aliis pluribus fide dignis, adhoc vocatis et rogatis. Hoc autem procuratorium sigillo rotundo in pergameno pendenti, in cuius medio, beate Marie virginis ymago, sedens in asino, filium in brachio tenebat, et ymago Joseph precedendo, quasi ducens asinum per capistrum, clamidem ultra sinistram scapulam in baculo deferebat, extitit sigillatum; sigilli vero titulus fuit iste: Sig. preceptoris domus sancte Marie Theutonicorum in Prusia.

Pars vero domini regis predicti petens copiam dicti procuratorii, ad certificandum iudices de sua iurisdiccione ad adverse partis instanciam rescriptum apostolicum sub vera bulla in filo canapi exhibuit, cuius tenor est talis:

Rescriptum
Apostolicum.

Johannes³⁾ episcopus, servus servorum dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Gnez-nensi et... episcopo Poznaniensi ac dilecto filio abbati monasterii sancti Benedicti de Mogylna Gnez. dyoc., salutem et apostolicam benedictionem. Gravem, dilecti filii, nobilis viri Wladislai ducis Polon. querelam accepimus, continentem, quod... magister et fratres domus

¹⁾ Verba „expedire“ usque ad „procurator“ desunt apud Dogiel.

²⁾ iudicato apud Dogiel.

³⁾ Typis exc. in Dogiel cod. dipl. IV. p. 43 et in Voigt cod. dipl. Prussiae II. p. 115. Lites I. 55.

sancte Marie Theut. non attendentes, quod quondam Conradus dux Polon., avus eiusdem ducis, eosdem, magistrum et fratres, quos veros credebat katholice fidei defensores, ad partes illas pro defensione ipsius fidei primitus advocavit, et nonnulla immobilia et mobilia bona liberaliter concessit eisdem, alias eos dictus Conradus et successores sui benigne ac favorabiliter proseguendo. Sed ipsi dicto duci se reddentes ingratos, et ad bona ipsius rapacitatis manus extendentes illicite, ducem ipsum terra sua Pomorania Wlad. dyoc., que de regno Polon. fore dinoscitur, temeritate propria spoliantes, illam cum hominibus, vasallis, castris, villis, possessionibus, et bonis existentibus in eadem, contra iusticiam occuparunt, et detinuerunt iam per octo annos et amplius sicut adhuc detinent violenter, fructus ac redditus et proventus provenientes ex illa percipientes indebite, et iniuste illam sibi reddere contradicunt, in ipsius ducis grave dispendium, et regni predicti diminucionem enormem, et scandalum manifestum. Quare nobis dux prefatus humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur nolentes eidem duci in suo iure deesse, in quo sumus omnibus debitores, discrecioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo vestrum, per vos vel per alios super premissis auctoritate nostra summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii procedentes, si rem inveneritis ita esse, magistrum et fratres predictos ad restituendum dicto duci terram, homines, vasallos, castra, villas, possessiones et bona predicta cum fructibus, redditibus et proventibus medio tempore perceptis, per censuram ecclesiasticam, apellatione postposita, compellatis, invocato ad hoc si oportunum fuerit auxilio brachii secularis; non obstantibus de duabus dietis edita ¹⁾ in concilio generali et felicis recordationis Bonifacii quondam pape, predecessoris nostri, per quas iudices, a sede deputati predicta, extra civitates et dyoceses, in quibus deputati fuerint, et alibi quam in civitatibus et locis insignibus procedere, aut vices suas committere, vel aliquos ultra unam dietam a finibus sue dyocesis trahere prohibentur, et aliis contrariis constitutionibus quibuscumque, dummodo ultra terciam vel quartam quis extra suam dyocessin ad iudicium non trahatur; seu si dictis magistro et fratribus, vel quibusvis aliis communiter seu divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca trahi, vel ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo de (sic) ²⁾ verbum de indulto huiusmodi mencionem, et quibuslibet privilegiis indultis, et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, eisdem magistro et fratribus ac ordini eorum concessis communiter vel divisim, quorumcumque tenorum existant, per que vestre iurisdictionis explicacio possit in hac parte quomodolibet impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus ³⁾ de verbo ad verbum habenda foret in nostris litteris mencio specialis. Datum Auinione tertio ydus Sept. pontificatus nostri anno quarto. (1319 Sept. 11).

Dictus vero frater Syffridus dicti rescripti apostolici copiam postulavit, quam dicti iudices sibi fieri mandarunt. Tandem dictis dominis archiepiscopo et episcopo iudicibus,

¹⁾ editis, Dogiel.

²⁾ Dogiel, ad.

³⁾ et de quibus quoque eorumque tenoribus, Dogiel.

asserentibus quod propter nimiam fatigacionem itineris non possent illo sero partes ad plenum audire terminum, ipsum de consensu utriusque partis in diem continuavere sequentem, ut tunc hora tertia in eodem loco partes comparerent et proponerent, quod de iure deberent. Actum anno, die, loco, hora, superius expressis. Presentibus religiosis viris, magistro Johanne fratre de Legna, ord. Cyst. ac Suentoslao et Strogomiro lectoribus fratribus ord. Minor. ibidem in Wlad., ac discretis viris, Symone et Nicholao presbyteris vicariis ibidem et aliis multis.

Aprilis 15. Sequenti vero die, hora tertia, dictis dominis Phylippo, Sbyschone et Johanne pro parte regis, ac fratre Syffrido pro parte magistri et commendatorum predictorum coram prefatis archiepiscopo et episcopo, ac fratre Nicholao abbate monast. de Mogylna Gnezn. dyoc. iudicibus, comparentibus, dicti domini, ... procuratores regis ad adverse partis instanciam exhibuerunt quidam procuratorium, cuius tenor est talis:

Procuratorium regis.

Universis ¹⁾ presentes litteras inspecturis Wladislaus dei gracia rex Polon. salutem in omnium salvatore. Noverit discrecio vestra, quod nos in causa seu causis, quam vel quas habemus, seu nos habere speramus cum religiosis viris, ... magistro et fratribus domus ord. sancte Marie Theut. per Prusciam super terra Pomorania et fructibus inde perceptis, ac quibuscumque aliis rebus coram venerabilibus patribus, dominis Janislao archiepiscopo Gneznensi et Domarato episcopo Poznaniensi ac religioso viro fratre Nicholao abbate de Mogylna ord. beati Benedicti, iudicibus a sede apostolica delegatis, et coram quocumque alio iudice seu iudicibus ab ipsis subdelegato vel subdelegatis, discretos viros, Phylippum cancellarium nostrum in regno Polon. et Sbyschonem subcancell. ac Johannem canonicum Rudensem, capellanos nostros ²⁾, facimus, constituimus et ordinamus nostros veros et legitimos procuratores et nuncios speciales, et quemlibet eorum in solidum, ita, quod non sit melior condicio occupantis ³⁾, sed quod unus inceperit, alii vel alius valeat resumere, prosequi et finire, dantes eisdem et cuilibet ipsorum plenam et omnimodam potestatem ad agendum et defendendum, petitionem seu libellum dandum et recipiendum, excepciones dilatorias et peremptorias proponendum, litem contestandum, iuramentum de calumpnia, seu malicia ac de veritate dicenda, et cuius libet alterius generis in animam nostram prestandum ⁴⁾, articulos et posiciones faciendum et ad eas respondendum, testes et instrumenta, et quaslibet alias probationes producendum, allegandum, sententiam seu sententias, interlocutoriam seu diffinitivam audiendum, ac ab eis vel ab ea, si opus fuerit, appellandum, apostolicos petendum, et appellacionem prosequendum, beneficium restitutionis in integrum postulandum, alium procuratorem seu procuratores loco sui substituendum ad omnia et quodlibet ⁵⁾ predictorum, substitutum seu substitutos revocandum et in se procuracionem resumendum, quando et quociens eis et cuilibet ipsorum videbitur expedire, nec non et ad alia omnia ac singula faciendum, que circa premissa et quodlibet ipsorum ⁶⁾ oport-

¹⁾ Typis exc.: Dogiel cod. dipl. IV. p. 44. Lites etc. I. 56.

²⁾ Dogiel, Capellanum nostrum.

³⁾ Dogiel, occupatorum.

⁴⁾ Dogiel, protestandi.

⁵⁾ Dogiel, ad omnem et quemlibet.

⁶⁾ premissorum.

tuna fuerint, *eciampi mandatum exigant speciale*; promittentes ratum et firmum habere et tenere, quidquid per eosdem *procuratores nostros* et quemlibet ipsorum substitutum seu substitutos ab eis in premissis et quodlibet *premissorum fuerit procuratum*; volentes insuper eosdem procuratores nostros, substitutos seu substitutum ab eis; et quemlibet ¹⁾ *ipsorum relevare ab omni onere satisfacionis* ²⁾, promittimus pro eis iudicio ³⁾ sisti, et *iudicatum solvi pro omnibus suis clausulis sub rerum nostrarum omnium ypotheca*. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorē presentes literas scribi seu fieri mandavimus, et sigilli nostri, quo hactenus *usi sumus et in praesenti utimur, appensione* communiri. Actum et datum in Sandomir, X^o kal. Aprilis, anno *domini millesimo tricentesimo vigesimo, presentibus dominis*, Martii 23. Nankero electo in episcopum Cracoviensem, Iwono cantore *Gneznensi, Prandotha archidiacono Cruschwiciensi* ⁴⁾, Gunthero decano Sandom., Navogio castellano *Cracoviensi ac Thomislao palatino Sandomiriensi*, et aliis pluribus fide dignis. Quod quidem procuratorium sigillo... in pergameni pendent, in cuius medio aquila coronata, alis, pedibus... extentis sculpta erat, et sigilli titulus fuit talis † Sig. Wladislai dei gr....

Item quasdam excepciones contra procuratorium fratris Syffridi optulerunt in *scriptis*... Exceptiones. Coram vobis venerabilibus patribus, dominis Janislao archiepiscopo *Gneznensi, Domarato. episcopo Poznaniensi* et fratre Nicholao abbate de Mogylna ord. sancti Benedicti iud. a sede apostolica *delegatis, nos Phylippus cancellarius regni Polon., et Sbyscho subcancellarius ac Johannes Canonicus Rudensis, procuratores magnifici principis, domini Wladislai regis Polon. excipiendō proponimus, quod procuratorium, quod fr... procuratorem magistri et fratrum domus Theut. per Prussiam, coram nobis in iudicio... ficiens ex eo, quia non apparet, quod magister de consensu fratrum eum constituerit procur... in eo subscripti sint quod de iure fieri debebat, sed nec sigilla fratrum vel conventus... sa. Item cum commendatores de Gdanczk, de Gmeua et de Suetze, qui possident ill... seu Pomoraniā, qui conveniuntur per dominum regem et ad hoc sunt citati, non constituen... fratrem Syffridum procuratorem, magister pro eis ipsum constituere non potuit, et ideo eosdem commendatores ipse frater Syffridus defendere non potest, et ideo procuratorium quoad ipsos commendatores est insufficiens et non valet, quare petimus nomine procuratorio pro domino nostro predicto, quod pronuncietis procuratorium esse insufficiens et dictos commendatores fore contumaces, procedentes contra eos propter eorum contumaciam ad missionem in possessionem rei petite, scilicet terre Pomoranie causa rei servande, et in expensis ipsos legitimis condempnetis.*

Prefatus vero frater Syffridus, sub protestacionibus quibus supra, quia ab illis, ut dixit, non intendebat recedere, petivit dari sibi terminum vel dilacionem usque ad nativitatem domini ad consulendum magistrum sui ordinis generalem et Capitulum generale, quod esse consuevit annis singulis in festo exaltacionis sancte crucis, sine quorum, scilicet magistri et capituli, auctoritate magister Prussie et commendatores predicti super causa tam ardua

¹⁾ Dogiel, quolibet.

²⁾ Dogiel, satisfaciendi.

³⁾ Dogiel, iudicato.

⁴⁾ Dogiel, Busviziensi.

non poterant conveniri: dictis procuratoribus domini regis econtra dicentibus, terminum talem memorato fratri Syffrido dandum non esse, cum hec causa intentetur de spoliacione, condicione ex canone Reintegranda, per quod C. agi potest et debet contra quemcumque possessorem, unde cum alii commendatores qui citati fuerint ad causam, possideant dictam terram, non erat necesse, ut asserebant, magistrum generalem consulere ex beneficio canonis memorati. Prefato vero fratre Syffrido instanter postulante, quod sibi terminus concederetur predictus, prefati domini iudices dixerunt, quod super hoc interloqui vellent, communicato consilio sapientum. Postmodum vero habita deliberacione, dictis partibus presentibus, memoratus dominus archiepiscopus, presentibus suis collegis, suo et eorum nomine in hunc modum pronunciavit: nos interloquendo pronunciamus terminum ad consulendum magistrum generalem ipsi fratri Syffrido esse concedendum; frater vero Syffridus dixit: quod si est interlocutoria placet michi, salvis meis protestacionibus supradictis. Partibus autem in diem termini non valentibus concordare, cum frater Syffridus peteret terminum ad nat. domini, pars vero domini regis sufficientem fore terminum ad ascensionem domini asserebat, iudices predicti, terminum trium mensium, diem videlicet crastinum sancti Kyliani martiris assignarunt, adicientes quod tunc magister generalis et fratres ord. predicti, ac commendatores de Gdanczk, Gmeua et Suetze, citati, per procuratorem sufficientem comparere deberent; frater vero Syffridus procurator predictus respondit, quod deliberare vellet, an huiusmodi terminum acceptaret, vel ad iuris beneficium convolaret... petentibus vero dictis domini regis procuratoribus, pronunciari procuratorium fratris Syffridi esse insufficiens... magistrum Prussie et commendatores citatos tamquam contra contumaces procedi, ut de iure procedi deberet... archiepiscopus sepedictus, nomine suo et collegarum suorum nomine respondit, quod eciam hanc pronunciacionem suspender... ad terminum subsequentem. Actum anno, die, loco, hora, quibus supra. Presentibus dominis, Nicholao... Gerlibo scolastico ecclesie Gneznensis, ac religiosis viris, magistro Johanne fratre de Legna, Cyst... Sventoslao et Strogomiro lectoribus ord. minor. in Wlad. et aliis quampluribus fide dignis...

Aprilis 15. Eodem vero die post prandium, in domo fratrum minorum in dormitorio... episcopi memorati, coram ipso domino archiepiscopo et Domarato Poznaniensi episcopo... iudicibus supradictis, utriusque partibus constitutis, honorabilis vir dominus Jord... nomine et loco fratris Syffridi procuratoris predicti ibi presentis, quandam appellacionem in scriptis.....

Appellacio. In ¹⁾ nomine domini Amen. Coram vobis venerabilibus patribus et dominis, Janislao sancte Gneznensis ecclesiae archiepiscopo, Domarato Poznaniensi episcopo et fratre Nicholao abbate monasterii sancti Benedicti de Mogylna *Gnezn. dyoc. qui*... vos dicitis iudices a sede apostolica delegatos in causa, quam movet vel movere *intendit illustris* princeps, dominus Wladislaus rex Polonie super Terra Pomorania, magistro et fratribus hospitalis sancte Marie domus Theut. Jerosol. ego frater Syffridus ejusdem ordinis de Papow, honorabilis et religiosi viri fratris Frederici de Wyldenbergh, magistri mei et fratrum domus Theut. per Pomoraniam et Prussiam, et religiosorum virorum de Gdancz, Gmeua et Suetze commendatorum procurator, nomine procuratorio eorundem dico et propono, quod cum predictos

¹⁾ Typis exc. in Voigt cod. dipl. Prussiae II. p. 117.

fratres, magistrum Prussie et commendatores, citassetis auctoritate ut dicitis apostolica in juveni Wladislavia feriam secundam post dominicam, qua cantatur Misericordia domini, pre-remptorium terminum statuentes, eodem termino, nomine procuratorio ut supra, comparui Aprilis 14. coram vobis, continuato vero termino in crastinum petivi terminum nomine magistri et commendatorum predictorum, infra quem magistrum ord. generalem et capitulum generale, quod consuevit esse in exaltatione sancte crucis, consulerent, sine quorum auctoritate non poterant super causa tam ardua conveniri. Vos vero dilacionem concessistis usque in crastinum beati Kyliani, sed nimis brevem ex quo reputans me predictos magistrum et commendatores indebite et contra justiciam pregravari, appello sedem apostolicam in hiis scriptis; me magistrum et commendatores sepepredictos, omnia bona et iura eorum et ordinis proteccioni ejusdem supponens, ne vos vel quivis alius in premissis vel premissorum quolibet in contemptum sedis predictae quidquam quomodolibet attemptetis, et apostolos peto instanter, instancius et instantissime michi dari. Septbr. 14. Julii 9.

Lecta igitur appellacione hujusmodi procuratores regis predicti petiverunt, quod huic appellacioni tamquam frivole non deberet deferri, cum terminus, puta trium mensium, ad consulendum generalem magistrum fuisset sufficiens assignatus..., foret necessarium ipsorum fratrum consulere capitulum generale. Nam, ut asserebant, tunc vix alicui de eis plena posset justicia exhiberi; imo dixerunt se et dominum regem fore gravatos in eo, quod dicto fratri Syffrido ad consulendum magistrum generalem fuerat terminus assignatus, cum hoc non foret necessarium, eo, quod tantum possessores deberent, prout est allegatum superius, conveniri. Predictus vero dominus archiepiscopus, habita deliberacione, nomine suo et Collegarum suorum, dicto fratri Syffrido et parti regis terminum eodem die post vespervas in ecclesia santi Nicholai ad deliberandum et respondendum, quem diem dicto fratri Syffrido posset prefigere pro dandis apostolis assignavit. Actum anno, mense, die, hora, loco, quibus supra. Presentibus dominis, Nicholao decano Gneznensi, Petro cantore Wlad., Johanne cancellario Poznaniensi, Vincencio et Boguslao publico notario, canonicis Gneznensibus, et aliis multis.

Eodem die in ecclesia sancti Nicholai post vespervas, prefatis domini regis, ac fratre Syffrido procuratoribus, coram predictis dominis... archiepiscopo, et... episcopo, ac... abbate, iudicibus, comparentibus, ipsi iudices fratri Syffrido predicto diem sabbati proximum in Brestze terminum pro recipiendis apostolis prefixerunt, presentibus dominis Nicholao decano Gneznensi, Johanne cancellario Poznaniensi, Wenceslao archidiacono Kalisiensi, Dominico canonico Poznaniensi, et aliis multis. Aprilis 15. Aprilis 19.

Veniente itaque termino, videlicet die sabbati id est XIII^o kal. Maii supradicto, ac predictis... domini regis, et fratre Syffrido, procuratoribus, in ecclesia parrochiali in Brescze Wlad. dyoc. post vespervas coram iudicibus comparentibus memoratis, predicti domini regis procuratores, causas, quod scilicet appellacioni fratris Syffridi tamquam frivole ut dicebant deferendum non esset, plurimas allegarunt, fratre Syffrido non petente aliud quam apostolos, pro quibus dandis terminus sibi fuerat assignatus. Domini autem iudices domini regis procuratoribus mandaverunt, ut causas seu rationes, quas allegaverunt, sub brevitatem scriberent, et conscriptas michi notario traderent, ut ipsas reponerem apud acta. Cujus man-

dati pretextu, dicti procuratores regis sequenti die mane michi suas in scriptis optulerunt allegaciones, et sunt tales:

allegaciones.

Coram vobis etc. nos Phy. etc. proponimus et dicimus, quod appellacioni interposite per fratrem Syffridum non sit deferendum, sic ostenditur. Nam cause vobis commisse res est notoria et manifesta, videlicet evidens occupacio terre Pomoranie, que nulla tergiversacione potest celari, et in notoriis iuris ordinem non servare, est iuris ordinem observare, et in ipsis appellans non auditur, presertim cum dictus Syffridus, *magister* et fratres ad appellacionem confugerint ad defensionem iniquitatis, non ad presidium innocencie... *videlicet* ut dictam terram Pomoraniam obtentu appellacionis iniuste diucius detinerent. Pmo. frivolis *appellacionibus* nec iusticia defert, nec iudex debet deferre, sed cum predictus Syffridus a br...*vi* appellaverit quem terminum iudex dare non tenebatur, et si ipsum non dedisset... partem, cum in iudicio nominacio domini non habeat locum, quando agitur possessorio, sed forsitan tunc, quando ageretur reivindicacione. Item causa vobis commissa est, ut procederetis in ipsa summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii, sed cui taliter committitur, debet semiplene cognoscere, libelli oblacionem et litis contestacionem non exposcere, dilaciones amputare et lites abbreviare. Sed cum ipsi appellent ut lites prolongent, eorum appellacioni non est aliquatenus deferendum. Item hic agitur possessorio et ex canone Reintegranda, ex cujus condicione canonis datur restitucio contra omnem possessorem. Item, monachus vel quivis alius conventus super spoliacione vel possessorio tenetur nomine suo respondere, et in hoc casu secundum Innoc. potest per se monachus procuratorem constituere, unde non habet locum nominacio ejus, cujus nomine possidetur. Item cum inducie sint arbitrarie et vos eis consideratis loci cause et personarum circumstanciis terminum competentem assignastis, licet de jure non debuistis, a quo appellare non poterant, unde appellacioni eorum non est aliquatenus deferendum.

Petentibus igitur domini regis procuratoribus, appellacioni fratris Syffridi non deferri, ac ea non obstante in causa juxta exigenciam iuris procedi, dominus archiepiscopus sepe dictus habita deliberacione cum sapientibus, suo et collegarum suorum nomine, interloquendo pronunciavit in hunc modum: nos interloquendo pronunciamus appellacioni fratris Syffridi procuratoris non esse tamquam frivole deferendum, cum terminus ad consulendum magistrum generalem fuerit sufficiens sibi datus, et ex aliis causis pluribus jam pretactis, et ea non obstante, in causa esse quantum de jure fuerit procedendum. Mandamus hanc interlocutoriam ad acta reponi, propter quod prefati domini iudices dicto fratri Syffrido refutatorios, clausos sub suis sigillis, dederunt apostolos in hec verba:

Apostoli.

Sanctissimo ¹⁾ in Christo ac domino, domino Johanni, sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, Jan. Gneznensis archiepiscopus, Domaratus episcopus Poznaniensis et Nicholaus abbas de Mogylna ord. beati Benedicti, Gneznensis dyoc., cum recommendacione humilipedum oscula beatorum. A veneranda Sanctitate vestra recepimus in mandatis, quod causam, que vertitur inter dominum Wladislaum regem Polon. illustrem ex una parte, et magistrum et fratres domus sancte Marie Theut. super spoliacione et occupacione terre Po-

¹⁾ Typis exc. in Voigt cod. dipl. Prussiae II. p. 115.

moranie ex altera, audire et terminare deberemus, prout in sanctitatis vestre rescripto nobis directo plenius continetur, cujus tenor dinoscitur esse talis: Johannes episcopus servus servorum dei etc. ut supra. Nos igitur mandatis apostolicis, prout tenemur, humiliter obtemperare volentes, eosdem magistrum et fratres ad nostram fecimus presenciam evocari, qui ad diem sibi per nos prefixum quendam fratrem sui ord. cum mandato seu procuratorio, in quo ipse magister et fratres eum procuratorem suum ad agendum et defendendum constituebant, prout in procuratorio eodem, apud acta de nostro mandato redacto, plenius continetur, ad nostram presenciam transmiserunt, quo coram nobis una cum procuratoribus prefati domini regis constituto, et ipsis procuratoribus regis predicti *instante* petentibus, quod in causa procederemus eadem, dictus procurator magistri et fratrum dicebat, quod cum super *terra Pomoranie* conveniri deberent, ipse magister et fratres in causa procedere non audebant nec poterant, suo *magistro* generali ac generali capitulo inconsultis, cujus, videlicet magistri nomine eos dicebat possidere terram ipsam, *qua* petivit, quod ei terminum ad consulendum dictum magistrum et capitulum generales concedere deberemus; procuratoribus domini regis contra dicentibus, eis hunc terminum non esse concedendum, cum ex citacionis edictis terminum sufficientem habuerint, et cum eciam non rei vindicatione sed possessorio iudicio convenirentur, et sic non possent illum, cujus nomine se dicunt possidere, in iudicio nominare, et maxime, cum condicione ex canone reintegranda contra eos agere intendebant, per quem accio competit contra quemlibet possessorem. Nec fore, ut asserebant, necessarium consulere capitulum generale, tunc enim vix vel numquam alicui plena posset de eis iusticia exhiberi. Nos igitur super hiis, nobiscum habita deliberacione sufficienti, et communicato consilio sapientum, quamvis allegatio procuratorum regis equa videretur, ipsis tamen... *magistro* et fratribus in sua petitione nos exhibere volentes gratiosos, et ut frustatorie appellacioni viam possemus precludere juxta posse, interloquendo pronunciavimus eis pro predicta consultacione terminum esse dandum, et consideratis locorum distancia et personarum ac negotii qualitate, trium mensium spacium eis pro termino duximus assignandum, cum, prout nobis videbatur, eciam infra spacium duorum mensium predictum suum generalem, cum non magna esset loci distancia, si voluissent consulere potuissent; procurator vero predictus magistri et fratrum terminum ipsum asserens nimis brevem a nobis propter hoc ad vestre sanctitatis appellavit audienciam in hec verba: In nomine domini Amen. Coram vobis etc. ut supra. Cui appellacioni, cum eam frivolum reputemus ex eo, quod terminus predictus est sufficiens, et ipsi non rei vindicatione sed possessorio conveniantur, non duximus deferendum, in causa ipsa, juxta tenorem predictarum vestre sanctitatis litterarum, summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii procedentes, et quia a nobis apostolos petivit procurator predictus, nos ei presentes apostolos refutatorios duximus concedendos. Datum etc. in Brescze XIII kal. Maii a. 1320. ¹⁾

Aprilis 19.

Quibus lectis, et per dictum procuratorem auditis, eos clausos ut moris est, et suorum sigillorum appositione signatos, procuratori eidem cum tradere vellent, dicti procuratores domini regis exceptionibus contra procuratorium fratris Syffridi in iudicio exhibitis, renun-

¹⁾ Voigt, cod. dipl. Pruss. II, p. 115.

ciaverunt et recesserunt ab eisdem, et predictum procuratorium approbaverunt. Ipse vero frater Syffridus dictos apostolos de manibus dictorum dominorum iudicum recipiens, quamvis ipsi iudices dicerent, quod in causa ipsa procedere volebant, iuxta traditam sibi formam, a presencia eorum discessit. Quo recedente procuratores domini regis cum instancia petebant, quod ipsi domini iudices in causa procederent dicti procuratoris absentia non obstante, petentes, quod citacio originalis sive principalis aput acta poneretur, que nondum posita fuerat, quia a parte adversa non fuerat requisita; quam ipsi iudices reponi mandaverunt, cuius tenor talis est:

Citacio
prima.

Janislaus divina et apostolice sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, et Domaratus Poznaniensis episcopus, ac frater Nicholaus abbas de Mogylna ord. sancti Benedicti Gnezn. dyoc. iudices ad infra scripta a sede apostolica delegati, discretis viris et dominis, Johanni cancell. Poznan., et Potenciano archidiacono Uneuensi Gnezn. dyoc. ac Laurencio rectori ecclesie de Brescze, Wlad. dyoc. salutem et mandatis apostolicis humiliter obedire. Noveritis nos, sanctissimi in Christo patris et domini, domini Johannis sacro sancte Romane ecclesie summi pontificis litteras, non cancellatas, non viciatas, nec in aliqua sui parte suspectas, recepisse, quarum tenor dinoscitur esse talis: Johannes episcopus, servus servorum dei, venerabilibus fratribus etc. ut supra. Harum igitur auctoritate litterarum vobis, sub pena excommunicacionis, quam vos et quemlibet vestrum volumus incurrere ipso facto, si mandati nostri, ymo verius apostolici, fueritis contemptores, districte precipimus et mandamus, quatenus... magistrum et fratres domus sancte Marie Theut. necnon commendatores de Gdancz. Gmeua et de Swece, possessores terre Pomoranie, ex parte nostra, uno edicto pro tribus peremptorie propter sufficienciam temporis citare curetis, quod proxima secunda feria post dominicam Misericordia domini coram nobis in Juveni Wladislaui Wlad. dyoc. sufficienter compareant, dicto domino Wladislao illustri regi Polonie, super predicta terra Pomorania de iusticia responsuri. Datum in Vneyow, XI^o Kal. Marcii, Anno domini M^o CCC^o vicesimo. Execucione vero facta huiusmodi, nobis sub pena premissa has litteras reportetis vestris sigillis appositis ad easdem.

Febr. 19.

Protestacio
Regis.

Item protestacionem, quam fecerunt in primo termino videlicet in Juveni Wladislavia continuato in diem sequentem, scilicet in terciam feriam, pecierunt inseri apud acta, quam eciam dicti domini iudices ad acta redigi mandaverunt; quae talis est: Coram vobis etc. Nos Ph. Cancell. etc. protestamur quod in causa domini regis, quam movemus religiosis viris, magistro et fratribus domus sancte Marie Theut. super terra Pomoranie, nomine prefati domini regis, intendimus experiri cum illis iudicio possessorio, ex beneficio canonis reintegranda; et tandem suam petitionem in scriptis optulerunt, quam dicti domini iudices consilio habito et deliberacione premissa, offerendam esse censuerunt; que statim oblata est et in actis redacta; cuius tenor dinoscitur esse talis:

Peticio
Regis.

Coram vobis venerabilibus patribus, dominis Janislao archiepiscopo Gneznensi, et Domarato episcopo Poznaniensi, et fratre Nicolao abbate de Mogylna, iudicibus a sede apostolica deputatis, nos, Ph. cancellarius regni Polon., et Sbyscho subcancellarius, ac Johannes canonicus Rudensis, procuratores illustris principis, domini Wladislai regis Polon., procuratorio nomine ipsius proponimus conquerendo, quod, cum idem dominus rex, tunc tamen adhuc dux existens, esset in possessione terre Pomoranie, que est pars regni Polonie, et

illustres principes Primislius et Kasimirus eam ipsius nomine possiderent, religiosi viri... magister et fratres ord. sancte Marie domus Theut. ipsos principes de possessione eiusdem terre, castrorum, civitatum, opidorum et villarum ipsius per potenciam et violenciam eiecerunt, memoratum dominum regem ipsa terra sic iniuriose et indebite spoliante, quam adhuc occupatam detinent in ipsius domini regis grave dampnum, et magnum preiudicium et diminucionem dicti regni, quare petimus nomine quo supra condicione ex canone reintegranda, eundem magistrum et commendatores de Gdancz de Gmeua et de Swetze, qui ipsam possident, quod eam et fructus inde perceptos, et qui percipi potuerunt a tempore deiectionis, quos estimamus... ta milia marcharum monete regni Polon. per vos, procedendo summarie, et de plano, ac *sine strepitu* et figura iudicii, dicto domino nostro regi restituant, sentencialiter condemnari, petimus... in lite factas et protestamur de faciendis. Qua petitione per iudices recepta, *procuratores regis* allegaverunt, quod, cum procurator magistri et fratrum predictorum apellatione interposita quamvi... eciam ob hoc iudices iidem non duxerunt deferendum, ab eorum presencia recederet, eo non citat... in causa procedi, cum per hoc testari videretur, quod coram ipsis nollet de cetero litigare, iuxta... *constituciones* domini Bonifacii pape VIII. adicientes, quod eciam in hoc casu posset, et liceret, ac deberet *lite non contestata* ad testium recepcionem procedi, et ipsam causam sententia diffinitiva terminari, presertim cum ex rescripto apostolico eis competeret, quod summarie, et de plano, ac *sine strepitu* et figura iudicii procedere possent et deberent.

Allegacio
regis.

Qua allegatione per iudices ipsos de consilio sapientum tractata, revoluta, et discussa, iidem domini iudices decreverunt et censuerunt, quod modo predicto, videlicet *lite non contestata* testes recipi deberent in causa eadem et admitti, et eisdem procuratoribus ad producendum testes, quarto non. mensis Junii pro prima dilacione terminum prefixerunt. Actum in Brescze, anno et die predictis, presentibus venerabilibus patribus, dominis Gerwardo Wlad. et Floriano Plocensis ecclesiarum episcopis, Mathya decano, Alberto scolastico, et magistro Petro cantore Wlad. et aliis multis.

Junii 2.

Item anno eodem, III^o kal. Junii, convenientibus prefatis dominis iudicibus pro eadem causa in civitate Brestensi, in ecclesia parochiali, predicti procuratores domini regis allegaverunt coram eis, quod, cum dilacione pro testibus producendis pendente, quolibet die dilacionis eiusdem testes de iure produci possent, et ipsi aliquos testes ibidem haberent presentes, quos postea habere non possent, petebant, quod ipsos testes reciperent, et secreto ut moris est examinarent; quos ipsi produci mandaverunt. Quibus productis, prefati procuratores articulos, seu intenciones suas eisdem iudicibus in scriptis optulerunt, que tales sunt:

Maii 30.

Nos Ph. cancellarius regni Polon., Sbyscho subcancellarius, et Johannes canonicus Rudensis, procuratores illustris principis, domini Wladislai regis Polon., intendimus probare, quod ipse dominus rex, tunc dux existens, possidebat terram Pomoranie. Item secunda intencio, quod illustres principes, domini Premislius et Kasymirus, duces Cuyavie, tenebant et possidebant eandem terram Pomoranie nomine ipsius domini regis, tunc ducis. Item, quod magister et fratres domus sancte Marie Theut. eiecerunt dictum dominum regem de possessione castri et civitatis Gdanczk. Item, quod eundem eiecerunt de possessione castri

Intenciones.

et civitatis in Trschow. Item, quod eiecerunt dictos dominos Primislium et Kasymirum de possessione castri et civitatis in Swecze, et pertinenciarum earundem. Item, quod de hiis omnibus et singulis in partibus illis et alibi est publica vox et fama. Item, quod hoc in partibus illis et vicinis est notorium. Hiis autem intencionibus seu articulis receptis, et in actis redactis, quia pars, que interrogatoria dare debuisset, absens erat, domini iudices predicti ex suo officio interrogatoria fecerunt, et secundum ea testes interrogari et examinari decreverunt; que talia sunt:

Interrogatoria.

Circa primam intencionem queratur a teste, lecta sibi et exposita vulgariter si laycus est intencione prima, an scit, quod vera sint, que in ipsa intencione continentur; item quomodo hoc scit?

Item queratur, utrum dominus Wladislaus, nunc rex, in terra Pomoranie iurisdiccione temporalem exercuerit?

Item queratur, quo anno fuerit in possessione? Item, an de hoc sit publica vox et fama? item, an hoc sit notorium?

Circa secundam intencionem lecta sibi etc. ut supra, in prima intencione queratur an scit, quod vera, que in ipsa intencione continentur, et si dixerint, quod sic, queratur... an personaliter sit eiectus, vel nomine suo tenentes? Item, an... vel successive sit eiectus? Item queratur, quo anno, mense et die hoc factum... an de hoc sit publica vox et fama? Item queratur, an hoc sit notorium... Item queratur, an causa timoris, odii vel favoris ferat testimonium? Item queratur et de aliis circumstanciis, per que posset veritas apparere.

Forma iuramenti.

Deinde domini iudices predicti mandaverunt conscribi formam iuramenti, secundum quam omnes testes iurare deberent. Que talis est: Ego N. de tali loco, iuro ad sanctam crucem si est laycus, vel ad sancta dei evangelia si est clericus, quod dicam totam veritatem vobis dominis iudicibus vel cui hoc commiseritis, quam novero de causa possessionis et spoliacionis terre Pomoranie, que est inter dominum Wladislaum regem Polon. et... magistrum et fratres de domo Theutonica, et nullam interseram falsitatem, et pro utraque parte dicam veritatem, quam scio, sive interrogatus fuero sive non, et quod nec precio nec amore, vel timore vel odio, seu pro aliquo commodo testimonium dicam.

I. Gerwardus
Wladisl.
episc.

Productis igitur testibus, venerabilis pater, dominus Gerwardus, Wlad. episcopus, primus testis, propositis sibi evangeliis iuravit secundum predictam formam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima intencione, que sic incipit: Nos Ph. cancell. etc., utrum sint vera, que in ipsa intencione continentur, dixit, quod sic, videlicet, quod dominus Wladislaus rex, tunc dux, fuit in possessione pacifica et quieta terre Pomoranie totius. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidi et presens fui, et interfui, quando idem dominus rex, tunc dux, in castris, burgis, opidis plenam iurisdiccione exercebat per se et suos officiales seu procuratores, et quod fuit possessor eiusdem domini, castrorum, villarum, opidorum, vassallorum et... in eadem terra commorantium; vidi eciam, quod omnes vasalli terre illius sibi homagium tamquam possessori et heredi prestiterunt et iuramenta fidelitatis, et quod continuavit pos... decessores sui, tanto tempore, cuius memoria non existit, et quod in castris Gdanczk, Gmewa et Swetze, et in aliis locis potioribus, ipso domino rege, tunc duce, possidente dictam terram Pomoranie, secum extiti tamquam dyocesanus loci personaliter com-

moratus. Interrogatus an hoc sit notorium in illis partibus, respondit, quod sic. Item dixit, quod predecessores ipsius domini regis, utpote dominus Primislius quondam rex Polon. et alii principes Polon. fuerint similiter in possessione dicte terre. Interrogatus an hoc sit notorium, respondit, quod sic, et adeo notorium, quod nulla potest tergiversacione celari. Interrogatus, an tempore eieccionis dominus rex, tunc dux, terram Pomoranie tenuerit, respondit, quod dominus Primislius et Kasimirus, duces Cuyavie, nomine domini regis, tunc ducis, terram Pomoranie eieccionis tempore possidebant. Ad tertiam intencionem, utrum dominus rex, tunc dux, sit spoliatus et eiectus de terra Pomoranie per Cruciferos, respondit, quod sic. Interrogatus, quomodo sciret, dixit, quod cum dominus rex, tunc dux, esset in possessione ejusdem terre, venientes preceptores seu commendatores et alii Cruciferi de domo Theutonica manu armata, hostiliter invadentes opidum Gdanen., quod erat munitum, strage magna facta in militibus et populo christiano illud per violenciam occuparunt, et eundem dominum regem, tunc ducem, et suos milites de castro Gdanczk, videlicet dominum Bogusium militem, iudicem terre illius, et Albertum castellanum Gdanen., Woyslaum castellanum et Stephanum castellanum Culmen., nomine eiusdem regis castrum possidentes, fraudibus et dolis exquisitis de castro predicto Gdanczk violenter et per potenciam ante destructionem castri et opidi Gdanczk eiecerunt, dicto domino rege, tunc duce, in remotis agente et contra Scismaticos pugnante. Interrogatus, quis inter eiectores fuerit principalis, respondit, quod frater Henricus, dictus de Ploczk, vice magister et capitaneus fuit, et plures alii preceptores seu commendatores terre Prussie. Interrogatus, quis eiecerit dominum regem, tunc ducem, de castro Trschow, dixit, quod predicti Cruciferi de domo Theutonica dominum ducem Kasimirum, ducem Cuyavie, possidentem nomine domini regis, tunc ducis, castrum et burgum Trschow similiter per violenciam eiecerunt. Interrogatus, quomodo hoc sibi constaret, respondit, quod postmodo pluries accessi, tamquam ad locum dyoc. mee, et vidi, quod idem castrum et opidum per eos fuerat igne crematum. Interrogatus, an hoc sit notorium, respondit, quod adeo est notorium, quod nulla etc. ut supra. Interrogatus, quid sibi constaret de castro Suetze, respondit, quod sibi constat, quod domini Premislius et Kasimirus, duces Cuyavie, possederunt castrum Suecense nomine domini regis, tunc ducis, et quod predicti Cruciferi de domo Theutonica venientes manu armata obsederunt castrum Suecense prefatum, et impugnaverunt cum machinis et variis instrumentis, et pluribus septimanis iacentes circa castrum predictum, dictorum tandem dominorum ducum homines per violenciam eiecerunt, et castrum occupaverunt, et adhuc detinent occupatum, domino rege, tunc duce, in remotis agente, ut superius est expressum. Interrogatus, utrum eodem anno dominus rex, tunc dux, spoliatus sit tota terra Pomoranie, respondit, quod castrum Gdanczk et Trschow cum eorum fructibus uno et eodem anno occupaverunt, castrum vero Suetze post lapsum temporis successive. Interrogatus, an hoc sit notorium, respondit, quod sic. Interrogatus, an odio, favore, vel precio ferat testimonium, respondit, quod non, sed causa veritatis.

Venerabilis in christo pater dominus Florianus, episcopus Plocensis ecclesie, se-^{II. Florianus} cundus testis, ad primam intencionem, que sic incipit: Nos Ph. etc. lecta sibi per totum, pre-^{episc. Plocens.} positis sibi evang. iuravit secundum predictam formam; et iuratus et interrogatus, utrum

sint vera, que in ipsa intencione continentur, dixit, quod sic, videlicet, quod dominus Wladislaus rex, tunc dux existens, possidebat terram Pomoranie; et dixit, quod rex Primislius, et ante eum dux Myschyngius, et alii duces Polon. terram Pomoranie pacifice possederunt, quibus successive dominus Wladislaus, rex Polon. tunc dux, successit, qui eandem terram Pomoranie possedit eciam pacifice et quiete. Interrogatus, quomodo sibi hoc constaret, respondit, quod novi omnes predictos dominos principes, et cum eis pluries conversatus sum in Pomorania et alibi, adhuc in minori statu constitutus, et vidi eos possidere ex certa sciencia. Interrogatus, utrum dominus rex, tunc dux, in terra Pomoranie temporalem iurisdictionem exercuerit, respondit, quod plenam iurisdictionem exercuit et habuit sicut verus dominus et possessor, sine qualibet contradiccione. Interrogatus, an in tocius terre Pomoranie possessione fuerit, respondit, quod sic, pacifica et quieta. Interrogatus, an milites dicte terre domino regi, tunc duci, homagium prestiterunt, respondit, quod sic; sed non interfui iuramento, sed audiui a fide dignis personis, et vidi, quod sibi obediebant in omnibus tamquam vero domino et heredi. Interrogatus, an de hoc sit publica vox et fama, respondit, quod de hoc est publica vox et fama in omnibus terris regni Polon. et aliis locis vicinis. Interrogatus, an hoc sit notorium, respondit, quod sic, et adeo notorium, quod nulla poterit tergiversacione celari. Interrogatus de anno, respondit, quod non recordor, sed scio, quod statim post mortem regis Primislii successit sibi immeditate in dicta terra. Interrogatus de mense, respondit, quod de mense et die non recordor, quando successit. Circa secundam intencionem, que incipit: Item quod illustres etc. lecta sibi per totum, interrogatus, quid sibi constaret, respondit, quod domini duces Cuyavie, Primislius et Kasimirus, possederunt terram Pomoranie nomine domini regis, tunc ducis. Interrogatus, qualiter sibi de hoc constet, respondit, quod homines eorum, ymo et frater meus germanus, Bogumilus miles, tenuit Suetze aliquo tempore nomine dominorum Primislii et Kasimiri, ducum Cuyavie, qui nomine prefati regis, tunc ducis, dictum castrum possidebant. Circa terciam intencionem, que incipit: Item quod eundem etc. lecta sibi per totum, interrogatus, quid sibi constet, respondit, quod dominus rex, tunc dux, eiectus est de Pomorania. Interrogatus, qualiter sibi hoc constet, respondit, quod fratres Cruciferi de domo Theutonica congregato valido exercitu vallaverunt opidum Gdanen., et expugnaverunt, ac funditus destruxerunt, et in eo aliquos homines incolas occiderunt. Interrogatus, an simul et semel de tota terra Pomoranie vel successive dominus rex, tunc dux, sit eiectus, respondit, quod successive, quia primo de Gdanczk, deinde de Trschow. et ultimo de Suetze, opidis et castris, et eorum pertinenciis. Interrogatus, an dominus rex, tunc dux, personaliter fuerit eiectus, vel nomine suo tenentes, respondit, quod homines dictorum dominorum ducum, Pomoraniem possidentes nomine dicti regis, tunc ducis, fuerunt eiecti. Interrogatus, quo anno, quo mense et die eiectus fuerit, respondit, quod non recordor. Interrogatus, an de hoc sit publica vox et fama, respondit, quod tunc temporis fuit publica vox et fama in partibus nostris et Polonie. Interrogatus, an hoc sit notorium, respondit, quod hoc notorium est et publicum per totam polonicam provinciam et in locis vicinis; ad quam eciam intencionem dixit, quod iam dictum sit, quod primo videlicet eiectus fuit dominus rex, tunc dux, de castris et opidis, videlicet de Gdanczk, de Trschow, et Suetze, et hoc non simul, sed per temporum intervalla. Interrogatus, an causa timoris etc. ferat testimonium, respondit, quod

non causa istorum, sed causa iusticie et veritatis fero hoc testimonium, et nichil penitus dixi propter amorem, timorem, odium vel favorem.

Illustris princeps, dominus Lestko, dux Cuyavie et dominus Wladislavie, ter-
 cius testis, ad sanctam crucem iuravit sub forma predicta, et sic iuratus et interrogatus, III. Lestko, dux Cujavie et dominus Wladisl.
 lecta sibi prima et secunda intencione, et vulgariter expositis, que sic incipiunt: Nos Ph. etc. secunda: Item quod illustres principes etc. utrum sint vera, que in ipsis intencionibus continentur, dixit, quod vera sunt. Interrogatus, quomodo hoc sciret, respondit, quod dominus Wladislaus rex, tunc dux, possedit terram et ducatum Pomoranie per me et fratres meos pacifice et quiete, ita quod primo per me, successive per predictos fratres meos, et quod predicti fratres mei germani ipsum ducatum nomine ipsius domini regis, tunc ducis, tenuerunt et gubernaverunt pacifice pluribus annis, et omnem iurisdiccione in militibus, vasallis, castris, opidis exercuerunt tamquam nomine veri domini et heredis. Interrogatus de fama et voce publica, dixit, quod sic. Interrogatus, an sit hoc notorium, respondit, quod notorium est in tota provincia *polonica* et aliis circumiacentibus et vicinis terris. Ad terciam intencionem, que sic incipit: Item *quod magister et fratres* etc. lectam sibi et expositam ut prius, dixit, quod vera sunt, que in ipsa continentur. Interrogatus, quomodo sibi *hoc constaret*, respondit, quod frater Henricus dictus de Ploczk ad dictum ducatum Pomoranie cum exercitu valido hostiliter manu armata accedens, primo opidum Gdanczk expugnavit, et quinquaginta milites preter villanos, quorum numerum nescio, quosdam in ecclesiis, quosdam vero hinc inde immaniter occiderunt, non parcentes sexui vel etati. Quo expugnato in Trschow progredientes, opidum et castrum ibidem cum suis pertinenciis optinuerunt violenter, et adhuc detinent occupata. Successive autem castrum et opidum Suecense similiter per potentiam occuparunt, et detinent occupata, et sic totum ducatum predictum usquemodo detinent occupatum. Interrogatus, an de hoc sit publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, utrum amore etc. ferat testimonium, respondit, quod nisi causa iusticie.

Illustris princeps, dominus Primislius, dux Cuyavie et dominus de Wyschegrod, quartus testis, iuravit ad sanctam crucem sub forma predicta, et sic iuratus et inter- IV. Primislius dux Cujav. et dominus de Wyschegrod.
 rogatus, lecta sibi prima intencione et exposita vulgariter, utrum vera essent, que in ipsa continentur, dixit, quod vera sunt. Interrogatus, quomodo hoc sibi constat, respondit, quod rex Wladislaus, tunc dux, nobis et fratri nostro Kasymiro, Trschouiam et Suetze, castra et opida, cum eorum districtibus assignaverat suo nomine tenenda, et fuimus presentes in Trschouia cum eodem domino rege, et ibi omnes Pomorani venerunt ad eum, et sibi homagium fecerunt, et eum in terram duxerunt, et omnia castra et municiones sibi tradiderunt, et nos suo nomine bene per triennium iudicavimus in terra Pomoranie, et municiones tenuimus. Interrogatus, an de hoc sit publica vox et fama, respondit, tunc fuit publica vox et fama, et adhuc est. Et sic ad secundam intencionem per ipsum est responsum. Dicebat enim, quod de hoc dixit prius. Circa terciam intencionem lectam etc., utrum sint vera etc., dixit, quod sic. Interrogatus, quomodo sciret, respondit, quod frater noster cum militibus ad nos in Cuyaviam reversus dixit nobis, quod per Cruciferos expulsi essent, et eiecti de Pomorania. Interrogatus de anno, dixit, quod Gdantz et Trschovia occupata sunt per cruciferos circa decem annos. Sed postea, post unum annum vel amplius, vallaverunt

Suetze, et cum quatuor Machinis proiciebant ad castrum bene quatuor septimanis, comminantes interfeccionem seu suspensionem in patibulo Bogumilo, castellano ibidem, et aliis militibus nostris, qui per nos in dicto castro Suetze nomine dicti regis fuerant locati, qui tandem compulsi ordinacionem fecerunt cum eis, quod salvis personis tantum eos recedere permiserunt. Ipsi vero fratres sic castro recepto, ipsum igne cremaverunt. Interrogatus, an de hoc sit publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, utrum causa timoris etc. respondit, quod non, deus scit, sed causa iusticie.

V. Wenceslaus dux Masoviae et dominus Plocensis.

Illustris princeps, dominus Wenceslaus, dux Masovie, et dominus Plocensis, quintus testis, iuravit ad sanctam crucem sub forma prescripta, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima intencione et exposita etc., utrum vera sint, que in ipsa continentur, dixit, quod vera sunt. Interrogatus, quomodo hoc sciret, respondit, quod audivi a patre meo, domino duce Boleslao, quod ipse miserat milites suos in Pomoraniem in subsidium dicto domino regi pro defensione dicte terre, et eciam michi ipsi milites retulerunt. Item interrogatus, an de hoc esset publica vox et fama, dixit, quod non solum vox et fama est, sed adeo notorium est, quod nulla potest tergiversacione celari. Ad terciam intencionem, que sic incipit: Item quod magister etc., dixit, quod cruciferi de domo Theutonica venientes armata manu violenter, possessores castri Gdanensis, qui nomine dicti domini regis dictum castrum possidebant, ipsos de dicto castro violenter eiecerunt, et eundem dominum regem, tunc ducem, eodem castro spoliaverunt, et tandem post temporis intervallum opidum ibidem obsidentes, per potenciam occupaverunt, et stragem maximam fecerunt in populo christiano. Item dixit, quod ipsi cruciferi eiecerunt dominos duces Cuyavie de castro Suetze et opido, qui nomine dicti domini regis ipsa possidebant. Interrogatus, utrum de hoc esset publica vox et fama, dixit, quod sic. Interrogatus, an hoc esset notorium, respondit, quod sic.

VI. Stanislaus praepos. wladisl.

Honorabilis vir, dominus Stanislaus, prepositus Wlad., sextus testis, propositis et tactis sanctis evang. iuravit secundum predictam formam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima intencione per totum, que sic incipit: Nos Ph. etc. utrum vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sint. Interrogatus, qualiter sibi constet, respondit, quia frequencius fui cum domino meo, domino episcopo Wlad. et ipso duce, nunc rege, in Gdanczk, in Slupcz, et in Suetze. Interrogatus, an predecessores sui fuerint in possessione, respondit, quod dux Myschyngius, et postmodum rex Primislius, cui successit rex, tunc dux, Wladislaus. Interrogatus, an iurisdiccione temporalem exercuerit, respondit, quod sic, tamquam dominus terre. Interrogatus, an milites et terrigene sibi homagium prestiterint, respondit, quod milites et cives sibi homagium prestiterunt, et ego fui presens et vidi. Interrogatus, an de hoc sit publica vox et fama, respondit, quod sit omnibus notum, et sit notorium in tota Polonia, et dominus episcopus Wlad. similiter ibi fuit, et ego cum eo, et multi alii sui capellani. Ad secundam intencionem lectam sibi etc. respondit, quod duces Primislius et Kasimirus possederunt terram Pomoranie nomine domini regis Wladislai. Ymo dixit, ego fui nuncius in Cracovia et ordinator, quod dominus rex, tunc dux, eis terram commisit suo nomine tenendam, et dominus Wladislaiensis episcopus recepit pro eisdem ducibus fideiussore, cives Wladislaienses. Ad terciam intencionem lectam sibi etc. respondit, quod magister et cruciferi de domo Theutonica eiecerunt dominum regem et pos-

sidentes nomine suo de castro Gdanczk, et dictos principes Cuyavie de castro et opido Suetze et de Trschow eiecerunt, sed successive de diversis castris et opidis. Interrogatus, an de hoc sit publica vox et fama, respondit, quod sic. Ymo dixit, notorium est omnibus, quod eciam nullo modo celari potest. Interrogatus de anno et mense, respondit, quod non bene recordatur. Interrogatus, an odio etc. respondit, quod non, sed causa iusticie.

Honorabilis vir, dominus Mathias, decanus Wlad., septimus testis, propositis et tactis VII. Matthias sanctis dei evang. iuravit sub predicta forma, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima decanus wladisl. intencione per totum, utrum vera sint omnia, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sint. Interrogatus qualiter sibi constet, quod pro certo scio, sed ibi non fui, et frater meus germanus, comes Suentoslaus, tenuit castrum domini regis Trschow. Interrogatus, an rex, tunc dux, exercuerit iurisdiecionem temporalem in terra Pomoranie, respondit, quod sic. Interrogatus, an terrigene sibi homagium prestiterunt, respondit, quod sic, quia et frater meus et alii milites sibi homagium prestiterunt. Interrogatus, an predecessores domini regis fuerunt in possessione, dixit, quod et alii principes Polon. possederunt terram Pomoraniam predictam. Ad secundam intencionem, lectam sibi etc. utrum vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sibi constet, respondit, quia iam dixi supra, quod frater meus, Suentoslaus, tenuit castrum Trschow, quod domini duces Cuyavie tenebant nomine domini regis. Ad terciam intencionem, lectam sibi per totum, respondit, sicut audiui ex publica fama cruciferi de domo Theutonica eiecerunt dominum regem de Pomorania, et eiecerunt successive, primo de Gdanczk, deinde de Trschovia, et ultimo de Suetze. Interrogatus, an de hoc sit publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, an hoc sit notorium, respondit, quod notorium est in Polonia et locis vicinis. Interrogatus, an odio, timore etc. respondit, quod non, sed causa iusticie.

Shyra, miles, heres de Crupocin, districtus Suecensis, octavus testis, iuravit ad sanctam crucem secundum predictam formam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi et exposita vulgariter prima intencione, utrum vera sint, que in ipsa continentur, que incipit, nos VIII. Shyra miles haeres de Crupocin. Ph. etc. respondit, quod omnia sint vera. Interrogatus, quomodo sibi hoc constet, respondit, quod in hereditate predicta Crupocin, sita in ducatu Pomoranie, districtus Suecensis, tamquam in propria domo moratus fui, et pro eisdem bonis predicto domino duci servitium feci, tamquam domino et possessori ducatus eiusdem. Interrogatus, utrum per se tenuerit dictam terram, dixit, quod interdum per se, et interdum per suos, commiserat enim nepotibus suis, dominis ducibus Cuyavie Primislio et Kasymiro castra et opida in terra predicta, videlicet Suetze et Trschow tenenda et regenda nomine suo, et ego Shyra mandato ipsius domini regis, tunc ducis, dicto domino Premislio duci, regenti castellaniam Suecensem nomine prefati domini regis, servivi in castro Suecensi, et claves predicti castri tenui et expensas castrensibus procuravi. Dixit eciam, quod castrum Gdantz Boguscha iudex tenuit et rexit ex commissione dicti domini regis. Interrogatus, an de hoc sit publica vox et fama, respondit, quod vox et fama est, ym notorium est apud eum et apud omnes, tam terre illius incolas, quam aliarum terrarum vicinarum, et hoc asseruit ex certa sciencia, quia in illa terra crevit a iuventute sua usque ad annos viriles. Interrogatus qui alii principes tenuerunt eundem ducatum, dixit, quod dominus Myschyngius dux illam terram possedit

usque ad mortem, et in morte prefatum Wladislaum regem heredem instituit terre Pomoranie. Sed dominus Primislius rex Polon. possessionem obtinuit terre prefate, quo mortuo pretactus dominus Wladislaus rex, tunc dux, succedens domino Primislio regi in regno Polon., predictum ducatum obtinuit, tam ex successione regni, quam eciam ex institutione predicto, et ipsum ducatum possedit multis annis pacifice et quiete. Ad secundam intencionem dixit, quod supra ista omnia narravi, que scivi. Ad terciam intencionem, lecta sibi et vulgariter exposita, an vera sint, que in ea continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo hoc sciret, respondit, constat mihi, quod venientes cruciferi de domo Theutonica, inter quos fuit capitaneus frater Henricus dictus de Ploczk, vicemagister, cum exercitu valido opidum Gdanczk vallaverunt, quo expugnato magnam stragem fecerunt ibi in populo christiano, ita quod XVI. milites excellentes nominatos, qui nomine domini Wladislai regis, tunc ducis, municionem rexerunt eandem, crudeliter occiderunt, quo facto statim progressi sunt ad castrum Trschow, quo per vim habito, fugientibus possessoribus castri pro timore stragis premissae, mox dictum castrum cremaverunt; et sic terram predictam totaliter occuparunt, eiectis quibusdam militibus de propriis bonis, quos suspectos habebant de fidelitate dicto domino regi conservanda, aliis sue dicioni potencialiter subiugatis; tandem post temporum intervalla, decem septimanis ante anni exitum vallaverunt castrum Suetze, et impugnaverunt machinis et aliis bellicis instrumentis, me teste, qui tunc fui in predicto castro graviter vulneratus ex sagitta, ita quod adhuc cycatrix in facie mea apparet, et expugnaverunt tunc dictum castrum, et sic totum ducatum Pomoranie occupaverunt, et adhuc detinent occupatum. Interrogatus de anno eiectiois et de die, respondit, quod eiectio facta fuit circa decem annos, de die et mense interrogatus, respondit, quod tertia die post festum sancti Martini occupaverunt Gdanczk. et Trschow., et postea ante exitum anni, circa diem beati Michaelis Suecense castrum expugnaverunt. Interrogatus, si de hiis esset publica vox et fama, dixit, quod sic. Interrogatus, an hoc esset notorium, dixit, quod omnibus hominibus in illis partibus et vicinis bene constat, et per facti evidenciam, et stragi sive sceleris perpetrati scandalum, et per facti continui evidenciam, quod nulla potest tergiversacione celari, quia dictam terram adhuc detinent occupatam. Interrogatus, utrum causa timoris, etc. ferat testimonium, dixit, quod non, sed causa iusticie, quia michi bene constat eo, quod in dicta terra fui multo tempore educatus.

IX. Naseg-
neus iudex
Cujaviae.

Nasegneus, iudex Cuyavie, nonus testis, iuravit ad sanctam crucem sub forma predicta, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi et vulgariter exposita prima intencione, que sic incipit, nos Ph. etc. an vera sint omnia, que in ipsa intencione continentur, dixit, quod sic. Interrogatus quomodo sciret, dixit, quod in comitiva dicti regis, tunc ducis, fuerit, quando ipse possessionem terre Pomoranie suscepit corporalem, et quod presens fuit et vidit, quod milites et vasalli, castrorum castellani, opidorum opidanei predicto domino regi fidelitatis homagium prestiterunt. Ad terciam intencionem lectam sibi et exposita vulgariter, que sic incipit, Item quod magister etc. an sint vera, que in ea continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sciret, respondit, quod cum dominus rex, tunc dux, commisisset nepotibus suis, dominis ducibus Cuyavie Primislio et Kasymiro, castra terre illius Suetze et Trschoviam nomine suo tenenda et reddenda, et quibusdam militibus terre Pomoranie

castrum et opidum Gdanczk, cruciferi de domo Theutonica terre Prussie venientes cum exercitu valido vallaverunt primo Gdanczk, quo expugnato multos milites et alium populum christianum occiderunt, non parcentes nobilitati, sexui vel etati, et sic aliis castris expugnatis, successive totam terram Pomoranie potencialiter occuparunt, expulsis militibus de propriis bonis, qui dicto domino regi, tunc duci, fideliter adherebant. Interrogatus, an de hoc sit publica vox et fama, respondit, quod sic in omnibus terris Polon. et vicinis. Interrogatus, an hoc sit notorium, respondit, quod est adeo notorium, quod predictus dominus rex, tunc dux, de possessione terre sue Pomoranie eiectus est per cruciferos et alii, qui eam nomine suo possidebant, quod nulla potest tergiversacione celari. Interrogatus, quo anno eiectio facta fuerit, respondit, quod citra decimum annum, sed de mense et die dicit se non recordari. Interrogatus, utrum causa odii etc. respondit, quod non, nisi causa iusticie.

Petrus, miles, heres de Sczydno, decimus testis, iuravit ad sanctam crucem secundum formam predictam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi et vulgariter exposita prima intencione, que sic incipit, nos Ph. etc. utrum vera sint omnia, que in ipsa continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sibi de hoc constet, respondit, quod frequenter veni in comitatu domini regis, tunc ducis, ad terram Pomoranie, et vidi, quod ipse dominus rex per se et suos dictam terram, castra, opida et omnes pertinencias tenebat, terre illius iurisdiccione[m] temporalem ibidem omnimodam exercendo, et omnes milites et vasalli sibi tamquam domino fideliter adherebant, servicia debita impendentes. Ad secundam et terciam intenciones, lectis sibi et vulgariter expositis, que sic incipiunt: Item quod illustres principes etc.: Item quod magister etc. an sint vera, que in ipsis continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, quod venientes cruciferi de domo Theutonica cum magno exercitu terre Prussie expugnaverunt primo Gdanczk castrum, quod per homines regis Wladislai, tunc ducis, et ipsius nomine tunc temporis tenebatur, quo expugnato eosdem possessores et alios opidaneos gladio crudeliter peremerunt, et sic accedentes ad alia castra, que domini duces Premislius et Kasimirus nomine dicti domini regis, tunc ducis, tenebant, similiter eadem hostiliter expugnaverunt, quibus expugnatis eiecerunt milites de suis bonis, qui dicto domino regi, tunc duci, fideliter adherebant, et tandem totam terram sive ducatum Pomoranie per violenciam occuparunt, et adhuc detinent occupatam. Interrogatus de anno eiectio[n]is, respondit, quod circiter decem annos eiectio facta est. Interrogatus, an de hiis esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, an hoc est notorium, et nullus ignorat. Interrogatus, utrum causa timoris etc. ferat testimonium, respondit, quod non, nisi causa iusticie.

X. Petrus
miles, haeres
de Sczydno.

Comes Petrus, dictus Drogoslawicz, iudex Poznan., XI. testis, iuravit ad sanctam crucem secundum formam predictam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi et vulgariter exposita prima intencione, utrum sint vera, que in ipsa continentur, que sic incipit nos Ph. etc., respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, quod in vicino habeo bona paterna, et pluries fui in terra Pomoranie cum dicto domino rege, tunc duce, et ipse dominabatur per totam terram Pomoranie in civitatibus, castris et villis, et omnes sibi obediebant, et hoc vidi oculis meis multociens. Ad secundam et terciam intencionem, lectis sibi et vulgariter expositis, que sic incipiunt: Item, quod illustres principes

XI. Petrus
dictus Dro-
goslawicz
iudex Pozn.

etc.: Item tertia, quod magister et fratres etc., utrum vera sint, que in ipsis continentur, dixit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo hoc sciret, respondit, quod fui presens, quando cruciferi receperunt partem castri Gdanczk a domino rege, et in parte castri locaverunt homines suos cruciferi, et in parte alia erant homines regis, et tunc cruciferi sub specie amicitie in magno castro Gdanczk in una parte fecerunt parvulum castrum, quo facto eiecerunt homines regis de magno castro, et deinde nocturno tempore intraverunt furtim et potenter in civitatem Gdanczk, et abhominabilem stragem fecerunt, et occiderunt nobiles terre, milites et uxores eorum et pueros, et sic occupaverunt civitatem; et adiecit, quod cruciferi eiecissent duces Cuyavie, videlicet Primislium et Kasymirum, de castris Suetze, Gmeua et Trschow, et dicebat se vidisse, quando cruciferi cum exercitu valido expugnabant dicta castra, et cum machinis proiciebant super ipsa, et ego habui domicilium in vicino, et postquam audiui, quod vallassent castra, collectis hominibus ivi ad videndum, et tunc vidi oculis meis et pugnavi cum hominibus eorum, sed ipsi erant potenciores. Interrogatus, utrum de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, an hoc esset notorium, respondit, quod notorium est, quia hoc omnes homines illarum parcium bene sciunt. Interrogatus, an causa timoris etc., respondit, quod non aliquo istorum, sed dico veritatem, quam scio et vidi.

XII. Comes
Thomislaus
sandomir.
palatinus.

Comes Thomislaus, Sandomiriensis palatinus, XII testis, iuravit ad sanctam crucem secundum formam predictam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi et vulgariter exposita prima intencione, que sic incipit: nos Ph. utrum vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo hoc sciret, respondit, quod aliquando fui cum dicto domino rege in Pomorania, et vidi eum esse in possessione, et aliquando misi nuncios meos ad eum in Pomoraniam. Ad secundam et terciam intencionem, lecta sibi utraque et exposita vulgariter, utrum vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sunt, quia michi bene constat, quod cruciferi homines domini regis eiecerunt de Gdanczk, et nepotes suos, dominos Primislium et Kasymirum duces Cuyavie de aliquibus castris, sicut de Suetze, Trschow, et de Gmeua, qui nomine domini regis, tunc ducis, dicta castra tenuerunt. Interrogatus, utrum hoc esset notorium, respondit, notorium est, quia omnes in illis partibus et in vicinis omnia bene sciunt, quia ista non sunt diu acta. Interrogatus, utrum odio etc., respondit, quod non, nisi amore iusticie.

XIII. Michael,
iudex sando-
mir.

Michael, iudex Sandomir., XIII testis, iuravit ad sanctam crucem secundum formam predictam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi et exposita vulgariter, que incipit: nos Ph. etc. utrum vera sint, que in ipsa continentur, dixit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, quod fui cum domino rege, tunc duce, in Pomorania, et ipse dominabatur, et tributa recipiebantur nomine suo, et omnes sibi terrigene serviebant. Ad secundam et terciam intencionem, lectis sibi et vulgariter expositis, an vera sint, que in ipsis continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo scit, respondit, quod fuerit presens circa ordinationem, quando pars castri de Gdanczk commissa fuit cruciferis causa subsidii, quia Saxones invadebant terram Pomoraniam, et tunc cruciferi facto modico castro in maiori castro, eiecerunt milites domini regis de castro, et deinde furtim intraverunt civitatem, et occiderunt milites et uxores eorum et pueros, et sic occupaverunt civitatem.

Deinde vallaverunt cum machinis castra Suetze, Gmeua et Trschow et expugnaverunt. Interrogatus quomodo hoc sciret respondit, quod tunc venerat cum exercitu in subsidium terrogenis, sed cruciferi erant valde potentes, et subito preoccupaverunt castrum. Interrogatus, an de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, an hoc esset notorium, respondit, quod notorium est, nullus enim hoc ignorat, quia omnia ibi nota sunt, et vicini bene sciunt. Interrogatus, utrum causa timoris etc. respondit, quod non, nisi causa iusticie tantum.

Vincencius, miles de Polon., dictus Boschyard, XIV testis, iuravit ad sanctam crucem secundum formam predictam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi et vulgariter exposita prima intencione, que sic incipit: Nos Ph. etc. an vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, quod quando milites Pomoranie et civitates Pomor. fecerunt domino regi, tunc duci, homagium post mortem regis Primislii, fui presens, et vidi, et postea pluribus annis, quod pluries vidi, quia vicinus sum illi terre. Sed quando Saxones impugnabant terram Pomoranie, in subsidium data fuit cruciferis pars castri Gdanczk per dominum regem, tunc ducem, qui de toto castro eiecerunt homines regis, et postea de nocte furtive intraverunt civitatem, et milites cum uxoribus et pueris occiderunt, et sic occupaverunt civitatem; deinde castra, Suecze, Gmeuam et Trschow sub hominibus dominorum ducum Cuyavie potenter et cum machinis expugnaverunt, qui dicta castra nomine domini regis Polon., tunc ducis, possidebant. Ad secundam et terciam intencionem, lectis sibi et vulgariter expositis, que sic incipiunt: Item quod illustres princ. etc.: Item tercia, quod magister et fratres etc. utrum vera sint, que in ipsis continentur, respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo sibi hoc constaret, respondit, quod iam omnia ista dixi. Interrogatus, an de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, an hoc esset notorium, respondit, quod hoc omnes in partibus illis bene sciunt et nullus ignorat, quia publice ista facta sunt. Interrogatus, utrum causa timoris etc. respondit, quod iusticie tantum.

Discretus vir, dominus Guntherus, decanus Sandom., XV testis iuravit, expositis et tactis sanctis dei evang., secundum formam predictam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi per totum prima intencione, que sic incipit: nos Ph. etc. utrum vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo hoc sciret, respondit, quod fui pluries cum domino rege, tunc duce, in terra Pomoranie, in civitatibus et in castris, et universi sibi de iuribus ducatus omnibus respondebant, et obediebant sibi, et ego ad presentationem suam investitus fui per Wladislaiensem episcopum de canonicatu et prebenda in Gdanczk, et possedi pacifice eandem prebendam pluribus annis. Postea cruciferi de Thorun eiecerunt homines regis de castris et civitatibus, et sic violenter occupaverunt terram Pomoranie, quibus omnibus ego interfui et vidi. Interrogatus, an de hiis publica vox sit et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, an hoc esset notorium, respondit, quod notorium est, quia hoc omnes sciunt in partibus illis, nec noc celari posset aliqua tergiversacione.

Discretus vir, dominus Petrus, scolasticus Sandom., XVI testis, iuravit, propositis et tactis sanctis dei evang., secundum predictam formam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima intencione, que sic incipit: nos Ph. etc. an vera sint, que in ipsa continentur,

XIV. Vincen-
tius miles
dictus Bo-
schyard.

XV. Gunthe-
rus decanus
sandomir.

XVI. Petrus
scolasticus
sandomir.

respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, quod dominus rex, tunc dux, Polon. possedit terram Pomoranie pluribus annis, et ego de mandato suo pluries collegi in Pomorania exactiones et tributa, et omnes sibi obediebant; et ego ad presentationem suam investitus fui per Wlad. episcopum de canonicatu et prebenda in Suetze, et illam longo tempore pacifice possedi. Ad secundam et terciam intencionem, lectas sibi per totum, que sic incipiunt: Item illustres principes etc.: Item tertia, quod magister et fratres etc. an vera sint, que in ipsis continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo hoc constet, respondit, quod cruciferi de Thorun violenter eiecerunt homines regis et filiolorum suorum, ducum Cuyavie, qui castra tenebant nomine patrui sui regis Wladislai, et multos homines et mulieres occiderunt in Gdanczk, et sic occupaverunt terram Pomoranie. Interrogatus, an de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, utrum hoc esset notorium, respondit, quod notorium est omnibus in partibus illis, et vicinis.

XVII. Czes-
laus custos
Sandomir.

Discretus vir, dominus Czeslaus, custos Sandom., XVII testis, propositis et tactis sanctis dei evang. iuravit secundum predictam formam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima intencione, que sic incipit: nos Ph. etc. utrum vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo sibi hoc constaret, respondit, quod fui secum multociens in Pomorania et vidi hoc, et fui procurator suus in Pomorania multis annis, et recepi nomine suo census et exactiones in Pomorania, et ad presentationem suam fui investitus de Gdanczk ecclesia parrochiali, et illam possedi et rexi pacifice pluribus annis. Sed cum Saxones impugnassent terram Pomoranie, concessa fuit de mandato regis pars castri Gdanczk cruciferis de Thorun, ut contra Saxones auxilium prestarent terrigenis. Sed ipsi postmodum caute de toto castro eiecerunt terrigenas, et potenter intraverunt de nocte civitatem, et occiderunt milites cum uxoribus et pueris, et alii ad terras alias fugerunt, et deinde potenter castra cum machinis acquisiverunt, et sic occupaverunt terram Pomoranie. Interrogatus, an de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, utrum hoc esset notorium, respondit, hoc esset notorium in partibus illis, quia hoc nullus ignorat. Interrogatus, an causa timoris etc. respondit, quod causa iusticie.

XVIII. Do-
broslaus de
Jeschow.

Dominus Dobroslaus de Jeschow, XVIII testis, propositis et tactis sanctis dei evang. iuravit iuxta predictam formam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima intencione, que sic incipit: nos Ph. etc. an vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, quod dominus Wladislaus quondam dux, modo rex totius Polonie, terram Pomoranie totam possedit ut verus heres, marchione autem Saxonie cum quibusdam fraudulentis Pomoranis ad expugnandum Gdanczk accedente, qui erant in possessione et regimine civitatis et castri Gdanensis nomine predicti regis, tunc ducis, et totius terre Pomoranie, adversus predictum marchionem ut se possent forcius defensare cruciferorum ord. sancte Marie de domo Theutonica, sub promissa summa certe pecunie, auxilium imploraverunt. Illi vero castrum Gdanczk intromissi, sic intrantes, predicti regis Wladislai homines, sicut dolosi et fraudulentis de dicto castro eiecerunt, et tandem civitatem Gdanczk potenter expugnantes, civitate ipsa penitus desolata, milites Pomoranie, qui erant in ea locati nomine sepedicti domini regis, inhumaniter occiderunt, de ecclesia ab altari abstrahentes. Alia etiam castra Pomoranie et civitates, Trschow videlicet et Suetze, ab in-

clitis principibus Primislio et Kasymiro, filiastris pretacti domini regis Wladislai, nomine eiusdem regis per eos possessa, potenter expugnaverunt; et hoc totum oculis meis vidi, et sic dominus rex Wladislaus de tota Pomorania per cruciferos est eiectus. Interrogatus, an de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, utrum hoc sit notorium, respondit, quod notorium est in omnibus partibus Polonie et manifestum. Interrogatus, an causa timoris etc. respondit quod non nisi propter iusticiam.

Thylo, civis Brestensis, Wlad. dyoc., XIX testis, iuravit ad sanctam crucem sub forma predicta, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi et vulgariter exposita prima intencione, que sic incipit: nos Ph. etc. an vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sibi hoc constaret, respondit, quod scio, quod fuit in possessione dominus Wladislaus rex, tunc dux, terre Pomoranie, et cruciferi de domo Theutonica manu potenti eum iececerunt de terra predicta, et opida et castra expugnaverunt, et bene LX milites cum civibus et homines infinitos occiderunt, et multa mala in populo perpetraverunt. Interrogatus, utrum de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, an hoc esset notorium, respondit, quod notorium est in partibus illis, quia hoc nullus ignorat. Interrogatus, an timore etc., respondit, quod causa iusticie, quia vidi, quod multi de Pomorania venerunt in Brescze vulnerati et sanguinolenti.

Dicretus vir, dominus Henricus, plebanus de Mylouancz, Wlad. dyoc., XX. testis, propositis et tactis sanctis dei evang. iuravit secundum formam predictam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima intencione, que sic incipit, nos Ph. etc. an vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo sibi hoc constaret, respondit, quod vidi et scio, quod dominus rex Wladislaus, tunc dux, captitavit Petrum Suencz et opida munivit, iurisdiccione in dicta terra tamquam dominus exercuit temporalem. Ad secundam intencionem, lecta sibi per totum, que sic incipit: Item quod illustres princ. etc. an vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo hoc sciret, respondit, quod domini duces Primilius et Kasimirus possederunt Pomoraniem, et hoc scio, quia fui in terra, eciam prope ubi erat dux. Ad terciam intencionem, lecta sibi per totum, que sic incipit: Item quod magister et fratres etc. an vera sint, que in ea continentur, respondit, quod sic. Interrogatus qualiter sibi hoc constet, respondit, quod cruciferi iececerunt dominum regem, tunc ducem, videlicet homines suo nomine tenentes, sicut Boguscam et alios de castro Gdanczk, et hoc scio, quia fui in terra predicta, quando cruciferi expugnato dicto castro Gdanczk multos homines occiderunt, ita quod eciam canes sanguinem humanum lambebant, et unum militem de campanili ecclesie traxerunt et occiderunt, et alium, qui confiteri volebat a confessore traxerunt, non permittentes confiteri ipsum occiderunt, et hoc scio, quia fui ibi in terra. Interrogatus, an de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod notorium est, quia hoc nullus ignorat in partibus illis et vicinis. Interrogatus de anno, respondit, non recorder. Interrogatus, an odio etc. respondit, quod non, sed in consciencia mea dico causa iusticie.

Honorabilis vir, magister Petrus, cantor Wlad. XXI. testis, propositis et tactis sanctis dei evang. iuravit secundum formam predictam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima intencione, que sic incipit: nos Ph. etc. utrum vera sint, que in ipsa continentur,

respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, ego fui cum ducibus Cuyaviae, et in comitiva regis, tunc ducis, iui usque in Bysschow in metis Pomoranie, et vidi, quod tunc milites occurrerunt domino Wladislao regi, tunc duci, et eum tamquam dominum receperunt; vidi etiam, quod ipse dominus Wladislaus iudicavit Pomoranos, et audiui et presens fui, quod Petrus Suentze et alii nobiles resignaverunt sibi castra, que sic recepta assignavit ducibus Cuyavie, Primislio et Kasymiro suo nomine tenenda, qui etiam ipsius regis nomine castra et totam Pomoraniam possederunt pacifice et quiete. Interrogatus, an etiam predecessores domini regis fuerint in possessione Pomoranie, respondit, quod sic, quia rex Primislius fuit in possessione, hoc scio, quia uterinus frater meus Clemens servivit eidem regi Primislio, et cum eo sepius in Pomoraniam equitavit. Ad terciam intencionem, lecta sibi per totum, que sic incipit: Item, quod magister et fratres etc. an vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, constat michi, quod homines ducis Kasymiri et ipse dux Kasymirus, eiecti per cruciferos, venerunt et nunciaverunt hoc duci Primislio, quod essent eiecti per machinas et balistas, et aliqui ex eis erant sagittati; hoc scio, quia fui presens, quando nuncii venerunt et hoc nunciaverunt. Fui etiam presens, quando dux Kasymirus, qui de Trschow et postea de Suetze fugerat et nunciavit, quod cruciferi bene X. milia terram intrassent et castra vallassent, et hic ipsi castra et totam terram Pomoranie occupaverunt, et adhuc detinent occupatam. Interrogatus, an de hoc esset publica vox et fama, respondit, dico quod est et tunc fuit publica vox et fama. Interrogatus, an hoc sit notorium, respondit, ita est notorium, quia hoc omnes loquuntur, et habent pro notorio. Interrogatus de anno, dixit, se non recordari. Interrogatus, an odio etc. perhibeat testimonium, respondit, quod non, nisi causa iusticie.

XXII. Thylo,
advocatus
crestens.

Thylo, advocatus Brestensis, XXII testis, iuravit ad sanctam crucem secundum predictam formam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi et vulgariter exposita prima intencione, que sic incipit: nos Ph. etc. an vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod sic. Interrogatus qualiter sibi hoc constet, respondit, hoc scio, quia propter hoc bene quadringenta miliaria equitavi, et fui bene quater in Pomorania cum domino rege, tunc duce, et iuramenta recepi et dictavi, nomine domini regis tunc ducis, et tota terra et milites sibi obedierunt, et dictavi iuramenta fidelitatis, que cives de Gdanczk et Trschow sibi prestiterunt. Ad secundam intencionem, lectam sibi per totum et expositam vulgariter, que sic incipit: Item quod illustres princ. etc., utrum vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, scio, quod domini duces Cuyavie possederunt terram Pomoranie nomine domini regis, tunc ducis. Ad terciam intencionem, lectam sibi et vulgariter expositam, que sic incipit: Item quod magister et fratres etc. an vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, quod cruciferi de domo Theutonica bene cum quatuor milibus hominum armatorum intraverunt Pomoraniam, et Gdanczk opidum et castrum potenter expugnaverunt, et infinitam hominum multitudinem occiderunt, et successive totam Pomoraniam; hoc scio, quia tunc tamquam nuncius ex parte domini regis, tunc ducis, in Pomoraniam equitaveram. Interrogatus, an de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, an hoc

esset notorium, respondit, quod hoc notorium est apud homines illarum parcium et vicinarum. Interrogatus quo anno hoc factum est, respondit, de anno non recordor. Interrogatus, an odio, timore, etc. ferat testimonium, respondit, quod non propter aliquod illorum, sed causa iusticie.

Discretus vir, dominus Clemens, canonicus Poznaniensis, presbyter, XXIII testis, ^{XXIII. Clemens canonicus poznan. presbyter.} propositis et tactis sanctis dei evang., iuravit secundum formam predictam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima intencione, que sic incipit: nos Ph. etc. an vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo sibi hoc constaret, respondit, quod fui in Pomorania plebanus ecclesie parrochialis in Glowtitz Wlad. dyoc., et vidi dominum Wladislaum regem, tunc ducem, possidentem dictam terram personaliter per se ipsum, militibus, vasallis, et aliis, inhabitantibus terram illam tamquam suis subditis imperantem, fructus, proventus, redditus pertinentes ad fiscum percipientem per suos officiales ad suam cameram; et omnem iurisdiccione[m], que ad ducatum et merum dominium pertinet exercentem, et post aliqua tempora eandem terram commisit nepotibus suis, dominis Primislio et Kasymiro, ducibus Cuyavie, qui eam suo nomine rexerunt multo tempore pacifice et quiete; et sic respondit satis ad secundam intencionem, que sic incipit: item quod illustres etc. Ad terciam intencionem, lecta sibi per totum, que sic incipit: item quod magister et fratres etc. utrum vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod vera sunt. Interrogatus quomodo sibi hoc constaret, respondit, quod sibi fide constitit oculata, quod cruciferi Prussie ord. sancte Marie de domo Theutonica venientes cum exercitibus multis expugnaverunt castra Pomoranie, et omnes homines, qui erant in eadem terra nomine prefati domini regis et nepotum suorum, dominorum ducum Cuyavie, extra terre terminos eiecerunt, et alios crudeliter occiderunt, et terram totam potenter occupaverunt, et usque in presens tempus violenter detinent occupatam, et fructus, proventus et redditus percipiunt ex eadem; et adiecit, quod fui presens, et ista que dixi, dico ex certa sciencia esse vera. Interrogatus, utrum de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, utrum hoc esset notorium, respondit, quod adeo notorium est, quod omni homini etatem et sensum habenti nullatenus dubia possunt esse. Interrogatus quo anno facta esset spoliatio seu eieccio, respondit, quod de anno et mense non recordaretur. Interrogatus, utrum causa timoris, amoris, etc. ferat testimonium, respondit, quod non propter aliquod istorum, sed tantum propter deum, et non causa alicuius lucri vel commodi, et precipue causa iusticie et veritatis.

Michahel, miles, quondam castellanus de Swecze, XXIV testis, iuravit ad sanctam ^{XXIV. Michahel miles quondam castellanus de Swecze.} crucem secundum predictam formam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima intencione et vulgariter exposita, que incipit sic: nos Ph. etc. utrum vera sint, que in ipsa intencione continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, quod dum predictus dominus rex, tunc dux, optinuisset ducatum Pomoranie ita, quod omnia castra opida, milites, vasalli fuissent plene sub sua obediencia, et ipse dominus rex tamquam dominus verus et possessor legitimus ex successione progenitorum suorum exercuisset iurisdiccione[m] liberam in eisdem, commisit vices suas in eodem ducatu dominis ducibus Cuyavie, Primislio et Kasymiro, et ipse dominus Primislius michi Michaheli tamquam suo servitori commisit castrum Suetze in ducatu Pomoranie, et ego sic de manu domini Primislilii recepi

dictum castrum et multo tempore gubernavi, et iurisdiccione in eadem castellania nomine predictorum dominorum exercui temporalem. Ad secundam intencionem, lecta sibi et vulgariter exposita, que sic incipit: item quod illustres etc. an vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod sic, et iam in prima intencione satis dixi de ista secunda intencione. Ad terciam intencionem, lecta sibi et vulgariter exposita, que sic incipit: item quod magister etc. utrum vera sint, que in ipsa intencione continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, respondit, quod ipse rex tenuit castrum Suetze, et cruciferi terre Prussie venientes cum exercitu valido, expugnatis aliis castris terre Pomoranie tandem expugnaverunt castrum Suetze, et sic adhuc detinent occupatum, cum territorio ipsius et cum Pomoranie castris et territoriis, et fructus, proventus et redditus percipiunt ex eisdem, et dominos Primislium et Kasimirum, duces Cuyavie, qui nomine patris sui, domini Wladislai regis, tunc ducis, possidebant Pomoraniem, et eorum homines de possessione tunc temporis eiecerunt. Interrogatus, an de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, an hoc esset notorium, respondit, quod sic, quia per facti continui et permanentis evidenciam cunctis liquet. Interrogatus de anno, que fuerit eieccio predicta, dixit, quod non bene recordor, sed credo, quod annus decimus presens currat. Interrogatus, utrum ferat testimonium causa timoris etc. dixit quod non, sed causa iusticie.

XXV. Jo-
hannes pala-
tinus Cujav.

Comes Johannes, palatinus Cuyavie, XXV testis, iuravit ad sanctam crucem secundum formam predictam, et sic iuratus et interrogatus, lecta sibi prima intencione et vulgariter exposita, que sic incipit: nos Ph. etc. an vera sint, que in ipsa continentur, respondit, quod sic. Interrogatus quomodo sibi hoc constet, dixit, quod, dum modernus dominus rex, tunc dux, obtinisset possessionem ducatus Pomoranie, et multo tempore dominaretur ibidem post mortem domini Primislii, regis Polonie, et omnes milites, vasalli, burgenses, opidanei sibi, videlicet domino Wladislao regi, tunc duci, obediverunt, et fidelitatem debitam homagii prestiterunt, et ipse in eis omnem iurisdiccione per se et suos exercuit temporalem, et census, fructus, et redditus dicte terre habuit et percepit. Ad secundam intencionem, lecta sibi et vulgariter exposita, que sic incipit: item quod illustres etc. utrum vera sint, que in ipsa intencione continentur, respondit, constat michi, quod commiserat ipsam terram Pomoranie dominis meis, dominis Premislio et Kasymiro, ducibus Cuyaviensibus, quorum ego sum servitor, qui ipsam terram sub sua obediencia nomine suo multo tempore gubernaverunt pacifice et quiete, omnimodam iurisdiccione per se et suos exercentes ibidem. Ad terciam intencionem, lecta sibi et vulgariter exposita, que sic incipit: item quod magister etc. an vera sint, que in ipsa intencione continentur, respondit, quod sic. Item quomodo sibi hoc constet, respondit, quod sibi bene constaret, quia dum predicti domini duces, Primislius et Kasymirus, tenuissent dictam terram nomine prefati domini regis Wladislai, tunc ducis, venientes cruciferi ord. sancte Marie de domo Theutonica terre Prussie cum exercitu valido, vallaverunt primo Gdanczk opidum et castrum, quibus expugnatis omnes milites, qui nomine predicti domini regis Wladislai dictam municione seu municiones tenuerunt, et alios ibidem homines more gentilico gladio crudeliter occiderunt. Deinde venientes ad castrum Trschow dominum ducem Kasimirum eodem castro per violenciam spoliaverunt. Quo sic occupato igne cremaverunt, et post temporis intervallum vallaverunt castrum Suetze, et expugnav-

runt machinis et aliis bellicis instrumentis, et sic per consequens, eiectis de terra omnibus hominibus, totam terram per violenciam occupaverunt, et adhuc detinent occupatam, cum utilitatibus, fructibus et redditibus universis. Interrogatus, an de hoc esset publica vox et fama, respondit, quod sic. Interrogatus, an hoc esset notorium, respondit, quod sic, quia per facti continui et permanentis evidenciam cunctis liquet. Interrogatus de anno, quo fuit facta eiectio predicta, dixit, quod non recordor, sed credo, quod annus presens decimus currat. Interrogatus, an causa odii, timoris, amoris sive lucri ferat testimonium hoc, respondit, quod non propter aliquod istorum, sed tantum pure propter deum et causa iusticie.

Horum autem testium quidam recepti sunt et examinati in Brescze, quidam in juveni Wladislaui, eo, quod propter multitudinem ipsorum domini iudices in uno loco non poterant diucius commorari.

Predictis itaque procuratoribus domini regis alteriori produccioni testium renunciantibus, prefati domini iudices ad apperendum dicta testium, et ad attestaciones publicandas, diem crastinum beati Jeronimi confessoris in civitate Brestensi pro termino statuerunt; actum Octbr. 1. anno, mense, die, loco, quibus supra. Presentibus honorabilibus viris, dominis, Nicholao decano, Gerlibo scolastico Gneznensi, Petro cantore Wlad., Johanne Loza, cancellario Poznaniensis ecclesiarum et aliis multis.

Et ego Nicholaus, filius quondam Ludowici, dicti de Stregon., clericus Poznaniensis, publicus imperiali auctoritate notarius, omnibus premissis in quolibet termino interfui, et scripsi, et multorum dicta testium predictorum conscripsi, aliorum autem, quorum examinationi non interfui, dicta, prout fuerunt per dominum Boguslaum, publicum notarium, conscripta, conscripsi fideliter, et in hanc publicam formam redegi, meisque consueto signo et nomine signavi. Item duobus terminis immediate sequentibus non interfui, sed ea, que in eis acta fuerunt, prout per dictum Boguslaum, publicum notarium, sunt conscripta, fideliter sine addicione et diminucione sensus et eciam intellectus, hic scripsi prout inferius continentur.

Demum anno quo supra, in crastino beati Jeronimi conf., in civitate Brestensi, sepe Octbr. 1. dictis procuratoribus domini regis in presencia dictorum dominorum iudicum constitutis, et petentibus, ut dicta testium ex parte domini regis productorum apperirent, et attestaciones eorundem publicarent, ipsi domini iudices, secum et cum sapientibus deliberacione habita, dicta testium predictorum apperiri decernentes, attestaciones eorum publicarunt, et ad acta reponi mandaverunt, ut superius continentur; et ad instanciam procuratorum predictorum domini regis terminum ad ferendam diffinitivam sentenciam in crastino beate Agnetis virginis Jan. 22. in iuveni Wladislavia statuerunt, et citacionem parti adverse per contumaciam absentis ad eandem diffinitivam sentenciam audiendam mandaverunt fieri in hec verba:

Janislaus divina et apostolice sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, Citacio ad diffinitivam. et Domaratus eadem gracia Poznaniensis episcopus, et Nicholaus dei paciencia abbas Mogylensis, iudices a sede apostolica deputati, discretis viris, Fritzconi et Hermanno, rectoribus ecclesie de Cosczol, Wlad. dyoc. salutem in domino, et mandatis apostolicis firmiter obedire. Dudum receptis sedis apostolice litteris in causa, que inter illustrem principem, dominum Wladislaum, dei gracia regem Polonie ex una, et religiosos viros, magistrum et fratres ord. hospitalis sancte Marie de domo Theutonica super terra seu ducatu Pomoranie ex parte



altera, ventilatur, processimus iuxta earundem sedis apostolice continenciam litterarum, servato iuris ordine per omnia et in omnibus, que dictum negocium contingere videbantur, vocatis primo et citatis per sollempne edictum peremptorium magistro predicto generali suoque vicario terre Prussie, nec non commendatoribus de Suetze, Trscheuia, Gmeua et

Aprilis 13. Gdanczk, eis locum Wladislauiam iuvenem, dyoc. Wlad., et diem, octavam conductus Pasche, pro termino peremptorio prefigentes, quo termino veniente, partibus predictis per suos procuratores sufficienter instructos comparentibus coram nobis, et oblatis petitionibus in dicto negotio pro parte prefati regis, aliisque actitatis per partem utramque sollempniter hinc et inde, prout eadem in scriptis sunt reposita per tabelliones seu publicos notarios apud acta, tandem pro parte magistri et fratrum ex causis frivolis exstitit appellatum, cui appellationi tamquam frivole iuxta mandatum nobis directum non duximus deferendum, sed ad examinationem negotii simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, non obstante earum contumacia, processimus, quod nobis ex tenore litterarum apostolicarum licuit iusticia mediante, et quoniam in dicto negotio testes et iuramenta sufficienter recepimus, et eisdem testibus post eorum iuramenta examinatis diligenter, dicta conscribi fideliter fecimus eorundem, que apperire proponimus et discutere previa ratione, et ferre diffinitivam sententiam, quam suadebit iusticia in negotio principali de consilio sapientum, discrecioni vestre auctoritate apostolica precipimus et mandamus, iniungentes vobis nichilominus sub pena excommunicationis, quam ex nunc in vos in hiis scriptis ferimus, si nostrum presens mandatum, ymo verius apostolicum non fueritis exequuti, quatenus infra octo dies a die receptionis presencium litterarum, iter accipientes, et accedentes personaliter quantocius poteritis, ad predictos... magistrum generalem vel suum vicarium terre Prussie, et commendatores de

Jan. 22. Suetze, Trschouia, Gmeua et Gdanczk, ipsos ad nostram citetis presenciam, eis in crastino sancte Agnetis virginis in Wladislauia iuveni dyoc. Wlad. terminum peremptorium assignantes, ut tunc per se, vel suos procuratores cum legali mandato destinatos ad audiendam diffinitivam sententiam, quam tam in principali negotio, quam super expensis, fructibus, proventibus, redditibus, ac interesse, duxerimus proferendam; ad dictos vero terminum et locum vos ipsi ad nos personaliter accedatis, et nobis hanc litteram, vestris sigillis sigillatam in signum executionis exhibere curetis, relaturi nichilominus, quod in dicto negotio egeritis, oraculo vive vocis. Datum in Brescze, in crastino sancti Jeronimi conf. Anno domini M° CCC° vicesimo. Actum anno, die, loco, quibus supra, presentibus dominis, Nicholao Gneznensis, Mathia Wladislauiensis ecclesiarum decanis, Gerlibo Gnezn., Alberto Wlad. ecclesiarum scolasticis, Vincencio et Woyschato canonicis Gneznensibus et aliis multis.

Octbr. 1.

1321 Jan. 22. Constitutis denique in crastino beate Agnetis virginis apud iuvenem Wladislauiam anno domini M° CCC° XXI° indiccione quarta procuratoribus domini regis predicti, videlicet dominis, Sbyschone, cancellario Syradiensi, olim subcancellario eiusdem domini regis, et Johanne, canonico Rudensi, coram religioso viro, fratre Nicholao, abbate de Mogylna ord. sancti Benedicti Gnezn. dyoc. iudice delegato, ex parte una, et fratre Syffrido de Papow procuratore magistri et fratrum domus sancte Marie Theutonicorum, ex parte altera, dictisque procuratoribus domini regis proponentibus, quod si college ipsius domini abbatis, videlicet patres et domini, Janislaus, Gnezn. archiepiscopus, et Domaratus, Poznaniensis episcopus, presentes

essent, vel aliqui ipsorum vices gerentes, parati essent cum instancia petere ab eisdem, quod diffinitiva sententia in causa domini regis proferretur, ad quam audiendam terminus partibus fuerat assignatus. Quibus auditis honorabilis vir, dominus Nicholaus, decanus Gneznensis, quandam litteram sigillatam sigillo predicti domini archiepiscopi, et dominus Johannes, archidiaconus Poznaniensis, aliam litteram sigillatam similiter sigillo domini Poznaniensis episcopi, prelati, exhibuerunt et legi fecerunt, quarum tenores tales esse dinoscuntur:

Janislaus, divina et apostolice sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, iudex a sede apostolica delegatus, honorabili viro, domino Nicholao, decano Gneznensi, salutem, et mandatis apostolicis firmiter obedire. Discrecionem vestram credimus non latere, qualiter nos in causa, que inter serenissimum dominum Wladislaum, dei gracia regem Polonie ex una, et religiosos viros... magistrum et fratres ord. hospitalis sancte Marie de domo Theutonica super terra Pomoranie ex parte altera vertitur, una cum collegis nostris, videlicet venerabili fratre nostro, domino Domarato, Poznaniensi episcopo, ac religioso viro, fratre Nicholao, abbate de Mogylno, ord. sancti Benedicti nobis per supradictam sedem apostolicam delegata, processerimus iuris ordine per omnia observato in tantum, ut prefatos... magistrum et fratres ad diem crastinum beati Agnetis virginis ad iuvenem Wladislaiam peremptorie citari fecimus ad diffinitivam sententiam audiendam, verum quia in dicto termino impediti negociis arduis nostram presenciam non possumus exhibere, discrecioni vestre predicta auctoritate apostolica tenore presencium committimus et mandamus, quatenus ad predictos terminos et locum cum predictis collegis nostris personaliter accedentes sententiam diffinitivam, quanto ordo rationis et iuris dictaverit, auctoritate nostra, ymo verius apostolica, incedentes via regia, proferatis, nobis executione dicte sentencie in posterum reservata. Datum in Vneyow XIV^o kal. Febr. anno domini M^o CCC^o XXI^o.

1321 Jan. 19.

Reverendo in Christo patri, domino Janislao, divina et sedis apostolice providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, et domino abbati de Mogylna, Domaratus, dei gracia episcopus Poznaniensis, debitam reverenciam cum honore. Noverit vestra paternitas, nos esse nimia infirmitate gravatos, propter quam termino cause, que vertitur inter dominum regem Polonie ex una parte, et... magistrum generalem ac cruciferos de domo Theutonica ex altera, ad ferendam sententiam diffinitivam interesse omnino non valemus. Quare vestram paternitatem rogamus, cum simus collega vester in hac causa a sede apostolica delegatus, ut terminum, qui fuit assignatus partibus predictis in crastino agnetis, una cum domino Johanne, archidiacono nostro, cui vices nostros committimus in hac parte, prolixius ad eundem actum, competenter prorogetis, ad quem nos deo auxiliante omnibus postpositis accedemus, una vobiscum in ipsa causa processuri. Datum in Kazome, in die Fabiani et Sebastiani martirum, anno domini M^o CCC^o vicessimo primo.

1321 Jan. 20.

Quibus litteris visis, lectis et auditis, procurator predictus peciit copiam ipsarum litterarum tunc in medium productarum sibi dari, quam dictus dominus abbas, una cum subdelegato, eidem tradi copiam demandavit. Insuper idem procurator petivit prime et principalis citacionis, et petitionis, sive libelli, copias sibi dari, ex adverso procuratoribus domini regis dicentibus, quod, cum unus coniudicum, scilicet venerabilis dominus, dominus Domaratus, Poznaniensis episcopus, ad hoc dominum Johannem, archidiaconum suum, destinaverit,

quod ipso excusato una cum collegis suis terminum ad idem faciendum, quod nunc fieri debebat, partibus assignarent. Nam expeditioni presentis cause dicebat se in termino per eos ipsis partibus assignato seu etiam assignando velle personaliter interesse, propter quod cum domino Nicolao, decano predicto, prefatus dominus archiepiscopus iudex vices suas subdelegaverit ad diffinitivam sententiam cum suis collegis proferendam, nequaquam alium actum facere possent, nisi eum solummodo, ad quem predictus archidiaconus per predictum dominum Poznaniensem episcopum, alium iudicem delegatum, fuerat destinatus; quibus auditis prefati abbas et decanus dicto procuratori magistri et fratrum responderunt, decernentes, duarum litterarum coram ipsis tunc in medium productarum sibi copiam fore dandam, aliorum autem copiam, cum iudices principales convenirent, dicebant esse petendam. Sed idem procurator ex hoc dicens se fore gravatum viva voce sine scriptis ad sedem apostolicam appellavit. Prefati vero domini abbas et decanus, instantibus sepe dictis procuratoribus domini regis, quod terminus ipsis ad diffinitivam sententiam audiendam prefigeretur, terminum

Febr. 7.

ad idem faciendum, quod tunc fieri debebat, ibidem in iuveni Wladislaui, in octava purificationis beate Marie virginis, in presencia procuratoris prefati magistri et fratrum predictorum, asserente dicto domino abbate, quod nullatenus in causa procedere vellet absque suis collegis, partibus assignarunt. Quo assignato post modicum intervallum temporis dictus procurator magistri et fratrum quandam in scriptis protestacionem exhibuit, et petivit ipsam redigi apud acta, cuius quidem tenor talis:

Protestacio
et appellacio
cruciferorum.

Coram vobis honorabilibus viris, dominis fratre Nicholao, abbate de Mogylno ord. sancti Benedicte iudice a sede apostolica delegato, et domino Nicholao, decano Gneznensi subdelegato a domino Janislao eiusdem ecclesie archiepiscopo collega vestro, ego frater Syffridus, procurator... magistri et fratrum Prussie et commendatorum Pomoranie, in causa, quam eis movet inclitus princeps, dominus Wladislaus rex Polonie super terra Pomoranie, premissa et sepius repetita protestacione, qua dudum protestatus fuero et protestor, scilicet quod per ea, que dixerō, vel fecero coram vobis, non intendo in vos tamquam in iudices consentire, sed salvas michi et dominis meis predictis retinui et retineo omnes excepciones competentes, tam in personas iudicum, quam in processus eorum, quam etiam in rescriptum, petivi cum sollemnitate in figura iudicii michi dari copiam principalis citacionis et petitionis domini regis, et quia michi hoc per vos extitit denegatum expresse, hiis senciens me et dominos meos exinde gravari, viva voce a vobis ad sedem apostolicam appellavi, et nunc ad eandem sedem ab eodem gravamine in hiis scriptis appello, et apostolos cum instantia peto; protestatus etiam fui de expensis et interesse, quos ad audiendam veram sententiam ad hunc diem, videlicet crastinum sancte Agnetis, evocastis, quo circumducto, in colludium partis nostre penitus nil egistis, nisi quod ad audiendam eandem sententiam vestram octavam diem purificationis beate Marie virginis statuistis; item petivi copiam substitutionis vestrae, domine decane, et excusacionis... domini... Poznaniensis ecclesie episcopi, litterarum in medium productarum, quas dandas oretenus decrevistis. Acta sunt hec in ecclesia beati Nicholai in iuveni Wiadislauia, anno domini M^o CCC^o vicesimo primo, in crastino beate Agnetis virginis, presentibus religiosis viris, fratribus Lodowico de Camencz Wrat. dyoc. ord. cyst. Johanne, priore, Petro lectore de Thorun ordinis fratrum predicatorum et aliis multis.

1321 Jan. 22.

Item anno quo supra, in octava purificationis beate Marie virginis, in ecclesia beati 1321 Febr. 7. Nicholai in iuveni Wladislaui, predictis dominis, videlicet... archiepiscopo, episcopo et abbate iudicibus convenientibus et iudicio presidentibus, hora vesperarum, predicti procuratores domini regis, videlicet Sbyscho, cancellarius Syradiensis, et Johannes, canonicus Rudensis pro parte ipsius domini regis comparentes, presente fratre Syffrido, procuratore dictorum magistri et fratrum domus sancte Marie Theutonicorum, pecierunt instanter, quod domini iudices causam ipsam sentencie calculo terminarent, ad quod terminus fuerat partibus assignatus, allegantes et iuribus comprobantes, quod sententia diffinitiva deberet pro domino rege proferri, quorum allegaciones iudices mandaverunt in scriptis dari, que tales sunt:

Quod sententia diffinitiva debeat ferri pro domino rege, brevibus rationibus sic probatur. Et primo sic pro ipso debet iudicari, pro quo plures faciunt rationes, de pe. di. IV. „finis“ ¹⁾, XIII. di. „duo mala“ ²⁾: extra: de proba ³⁾: „licet“, LXI. di. C. I. II. et III. et ubi plura faciunt pro aliquo pro ipso debet pronunciari ⁴⁾, XXII. q. v. „vides“, et extra: de iure patronatus „suggestum“ ⁵⁾; manifestum est autem, quod plura faciunt pro domino rege, videlicet, quia possedit terram Pomoranie, et quod est ipsa spoliatus, ut patet per dicta testium, ergo pro ipso debet iudicari. Preterea nullus debet condemnari, nisi legitimis probationibus convictus, II. q. i. „deus omnipot.“ ⁶⁾, ergo argumento a contrario sensu, quilibet convictus legitime debet condemnari; constat autem, quod dicti magister et fratres convicti sunt per testes, ut apparet per attestaciones; ergo sunt condemnandi. Item, iudex debet pronunciare secundum allegata et probata, XI. q. III. „summopere“ ⁷⁾, III. q. VI. „iudicet“ ⁸⁾, VI. q. II. „si tantum“ ⁹⁾, etc. placuit, et extra: de offic. ord. c. I. et per bern: ibidem. Sed cum sit allegatum et probatum, quomodo dominus rex possedit terram Pomoranie et spoliatus est ipsa, ergo et iudices sic debent pronunciare, scilicet eum restituendo ad ipsam. Ultimo sic probatur, qui petit restitui, duo necesse habet probare, se possedissee, et se spoliatum esse, ut extra: de offic. iud. del: „consultacionibus“ ¹⁰⁾, et per bern: ¹¹⁾ ibidem. Cum autem pro parte domini regis ista duo sint probata, ut apparet ex dictis testium, concluditur ex premissis, quod dominus rex in causa presenti debeat optinere, unde petebant dicti procuratores pro domino rege sententiam proferri, et partem adversam sibi sententia-liter condemnari, et expensas factas in lite restitui, et restituendas fore per iudices decerni.

Quibus auditis magister Fridericus, plebanus ecclesie de Thorun, assistente sibi dicto procuratore magistri et fratrum, premissa protestacione sepius repetita, quod nollet recedere ab appellacione ab eis interposita, quasdam excepciones proposuit, quas dicti domini iudices in scriptis dare mandaverunt, que statim in scriptis date sunt in hec verba:

Prima excepcio erit de suspectis, et venient iura III. q. V. „quia suspecti“ ¹²⁾, etc. „accusa-
tores“ ¹³⁾ XI. q. III. ¹⁴⁾ „quatuor modis“, ut lit: non: cont: „accedens“ ¹⁵⁾, et de app: c. „secundo
requiris“ ¹⁶⁾, hic dicas causam suspicionum. Item, secunda excepcio erit contra rescriptum, et

Allegacio
regia.

Excepciones
crucif.

¹⁾ Grat. „finis“ ad can. 8. dist. 4. de penitentia. — ²⁾ Can. 1. dist. 13. — ³⁾ Cap. 9. X. de probat. II. 19. — ⁴⁾ Scriptoris lapsus pro. Can. 3. C. XXIII. qu. 6. — ⁵⁾ Cap. 20. X. de iure patron. III. 38. — ⁶⁾ Can. 20. C. II. qu. 1. — ⁷⁾ Can. 70. C. XI. qu. 3. — ⁸⁾ C. III. qu. 6. — ⁹⁾ Can. 2. C. VI. qu. 2. — ¹⁰⁾ Cap. 10. X. de off. iud. del. I. 29. — ¹¹⁾ i. e. per Bernhardum. — ¹²⁾ Can. 15. C. III. qu. 5. — ¹³⁾ Can. 2. C. III. qu. 5. — ¹⁴⁾ Can. 78. C. XI. qu. 3. — ¹⁵⁾ Cap. 4. X. ut lite non cont. II. 6. — ¹⁶⁾ Cap. 41. X. de appell. II. 28.

hec erit triplex; prima, quia fallaci suggestionem optentum, ad hoc extra de rescripti „super litteris“ ¹⁾, et quasi per totum. Secundo, quia per importunitatem elicitedum, ad hoc VII. q. i. c. „scias“ ²⁾, VIII. q. I. „audacter“ ³⁾ XXXI. q. I. „hac ratione“ ⁴⁾, VI. di. testamentum ⁵⁾, de offic. del. „sane“ ⁶⁾, de rescriptis „si quando“ ⁷⁾, tercio, quia deperditum per abusum, extra de rescriptis „quia nonnulli“ ⁸⁾; item tercia exceptio veniet contra processum, cuius principalis citacio impugnatur, per c. „edoceri“ de rescriptis ⁹⁾, de iud. causam, per. l: ff: de iure deliber: ait pretor ¹⁰⁾, ff: de iud: „eum, quem temere“ ¹¹⁾, C. que sen: sine app: re: l: i: §. ex eo edicto, ubi dicitur etc. XVI. q. III. „si sacerdotes“ ¹²⁾, et quod temeraria citacio nulla reputetur induc iura de pe: di: I. „scindite“ ¹³⁾. XIX. di. c. „secundum“ ¹⁴⁾ et. c. „propter tucius et melius“ ¹⁵⁾, ff: ad vell: in l: quamvis in § „si convenerit“; item quarta exceptio eciam contra processum, quia recepti sunt testes et instrumenta ad hunc actum parte altera non citata, quod omnino non valet, extra, ut lit: n: cont: c. „accedens“ ¹⁶⁾ II. III. q. IX. „omnia“ ¹⁷⁾ et c. carte ¹⁸⁾, et contra legem in aut: de testi: ad „hoc vero“ ¹⁹⁾, quod contra leges et canones fit subsistere non potest, X. di: c. „vides“ ²⁰⁾ XXV. q. II. c. „imperiali“ ²¹⁾. Nec obstat, quod de plano etc. extra: de ver: sig: „sepe“ in const. Clementina ²²⁾; item quinta erit exceptio de non rite datis apostolis, extra: de appell: „ab eo“ ²³⁾, li. VI^o et expone decr. „cum olyn.“ de offic: del: ²⁴⁾ Item excipiatu ad hoc, quod acta sunt expresse dene-gata. Item excipiatu de eo, quod super exceptionibus suspicionum contra eos propositis, in arbitros iuris convenire recusant, ad hoc extra: de appell: „cum speciali“. c. „secundo requiris“, et c. „legitima“ ²⁵⁾.

Dicti vero procuratores domini regis allegabant, quod, cum dictus procurator protestetur, quod ab appellacione quam ab ipsis iudicibus interposuit, nollet recedere, sed velit ipsam prosecui, et petat ab ipsis iudicibus ista in forma iudicii, quod non deberet audiri, tamquam petens adversa per .C. Sollicitudinem, extra: de appell:

Deinde dicti procuratores domini regis contra exceptiones fratris Syffridi procuratoris, predictas replicabant oretenus, quod videlicet eius exceptiones non deberent admitti, nec ipse super eis audiri multipliciter allegantes. Domini vero iudices auditis hinc inde propositis, mandaverunt utrimque dari copiam coram eis propositorum, et demum terminum ipsum, de voluntate utriusque partis, ut quelibet earum super hiis que fuerunt proposita, coram eis, posset, et eciam ipsi iudices, plenius informari, in diem continuavere sequentem, ut tunc post missam in eodem loco coram eis quelibet parcium compareret ad id, quod tunc fieri debebat, et quod de iure posset fieri faciendum. Dominus vero Nicholaus, decanus Gnez-nensis, in presencia ipsorum iudicum quandam litteram, maiori sigillo dicti domini archiepis-copi sigillatam, dedit ad acta, cuius tenor dinoscitur esse talis:

) Cap. 20. X. de rescr. I. 3. — 2) Can. 35. C. VII. qu. 1. — 3) Can. 18. C. VIII. qu. 1. — 4) Can. 9. C. XXXI. q. 1. — 5) Can. I. dist. 6. — 6) Cap. 11. X. de off. iud. deleg. I. 29. — 7) Cap. 5. X. de rescr. I. 3. — 8) Cap. 43. X. eodem. — 9) Cap. 21. X. eodem. — 10) L. 7. D. XXVIII. 8. — 11) L. 79. D. V. 1. — 12) Can. 10. C. XVI. qu. 3. — 13) Can. 33. dist. 1. de poenit. — 14) Can. 8. dist. 19. — 15) L. 8. §. 8. D. ad fet. Vellejan. XVI. 1. — 16) Cap. 4. X. ut lite non concest. II. 6. — 17) Can. 4. C. III. qu. 9. — 18) Can. 19. eod. — 19) Authentica 90 de testibus, c. 9. — 20) Can. 10. dist. 10. — 21) Can. 13. C. XXV. qu. 2. — 22) Clem. 2. V. 11. — 23) Cap. 6. de apell. in VI. 2. 15. — 24) Cap. 32. X. de off. iud. del. I. 29. — 25) Cap. 61. X. de apell. II. 28. cap. 41. eodem.

Janislaus, divina et apostolice sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, Revocacio.
iudex a sede apostolica delegatus, honorabili viro, domino Nicholao, decano eiusdem ecclesie
salutem cum sincera in domino karitate. Licet vobis in causa, que vertitur inter illustrem
principem, dominum Wladislaum regem Polonie ex parte una, et religiosos viros... magi-
strum et fratres ord. domus sancte Marie Theutonicorum ex altera super terra Pomoranie,
nostras vices ad ferendam diffinitivam sententiam cum collegis nostris in termino, qui
erat in crastino beate Agnetis virginis, commiserimus, reservata nobis exequcione eiusdem,
quia tamen in termino predicto, propter nostri college, venerabilis fratris nostri, domini Do-
marati, Poznaniensis episcopi, absenciam, nil egistis, easdem vices nostras a vobis tenore
presencium revocamus, cum decisioni predictae cause decreverimus personaliter interesse.
Datum in Vgma, in crastino purificationis beate Marie virginis anno domini M^o CCC^o vice- 1321 Febr. 3.
simo primo. Actum, anno, die, loco, hora quibus supra, presentibus dominis Nicholao de-
cano, Gerlibo scolastico Gneznensi, Johanne archidiacono Poznaniensi, magistro Petro can-
tore Wladislaiensi, Michaele preposito Cruschwiciensi, Wenceslao Kalisiensis, Potenciano
Vneviensis ecclesiarum archidiaconis et aliis.

Sequenti vero die, videlicet quarto ydus Februarii, post missam in ecclesia sancti Nicho- Febr. 10.
lai in iuveni Wladislaia, predictis utriusque partis procuratoribus coram prefatis... archi-
episcopo et... episcopo ac... abbate, iudicibus pro tribunali sedentibus, constitutis, procu-
ratores domini regis predicti, contra excepciones fratris Syffridi procuratoris prefati, suas
dederunt replications in scriptis, petentes eas ad acta reponi, que tales sunt:

Coram vobis, venerabilibus patribus etc. Nos Sbyscho cancellarius Syradiensis, et Jo- Replicacio-
nes regis.
hannes canonicus Rudensis, procuratores incliti principis, domini Wladislai regis Polonie
illustris ad excepciones coram vobis pro parte fratris Syffridi, procuratoris magistri et fra-
trum domus sancte Marie Theutonicorum, per magistrum Fridericum, plebanum ecclesie sancte
Johannis Thorunensis, Culmensis dyc. propositas, replicando proponimus et dicimus, quod
excepcio de suspectis iudicibus, sicut et excepciones propositae contra rescriptum, cum sint
dilatatorie, ut extra: de probat: „quoniam contra falsam“ ¹⁾ in verbo excepciones, et de sen:
et re iud: „inter Mon:“ in glō. ²⁾, quicumque habet plures excepciones, nunc locum non
habent, quia tales excepciones ante litem contestatam sunt proponende, ut de excepc: „Pa-
storal:“ ³⁾; in hec autem nostra causa, lis est contestata ab eo die, quo dominus ad iudicium
extitit evocatus et contumaciter comparere non curavit, ut lit: non cont: „quoniam frequen-
ter“, § „in aliis“ ⁴⁾; et preterea cum ex gracia speciali dominus papa litteras in hac causa
in hac forma concesserit, quod in ipsa summarie, et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii
procedatur, ficcione iuris lis intelligitur contestata, maxime quia procurator predictus a vobis
ex causa frivola ad apostolicam sedem appellans a vestra presenciam recessit, et ideo eum
non tenebamini ad aliquem actum iudicalem evocare, et nichilominus vester processus, quem
in absencia eius fecistis, non debet invalidus reputari, ut de do: et con: „eum qui“ li: VI^o ⁵⁾.
Et quia cum causa sub predicta forma committitur, videlicet summarie, de plano etc. litis

¹⁾ C. 11. X. II. 19. — ²⁾ C. 20. X. II. 27. — ³⁾ C. 4. X. II. 25. — ⁴⁾ C. 5. §. 6. X. II. 6. — ⁵⁾ C. 3. de dolo et contumacia
in VI. (II. 6.)

contestacio non est necessario exigenda, et tamen sententia ferri potest, et valebit, ut in novella constitutione Clementina de verb. sig: sepe contingit ¹⁾).

Item ad illud, quod excipitur dicendo processum vestrum non valere eo, quod magister citatus non fuerit, dicimus replicando, quod hoc non habet veritatem in facto, quia magister et fratres, et precipue qui terram Pomoranie possident et detinent, utpote commendatores de Gdanczk, Gmeua et Suetze, citati fuerunt, ut liquet ex citacione, que in actis est redacta, et ex forma procuratorii per dictum fratrem Syffridum exhibiti in iudicio, qui per magistrum pro ipso magistro et fratribus et specialiter pro dictis commendatoribus, qui terram Pomoranie detinent occupatam, extitit constitutus. Item ad illud, quod dicit processum vestrum omnino non valere pro eo, quod procurator idem ad actus iudiciales, videlicet produccionem testium, citatus non fuit, dicimus, quod hoc non habet veritatem in iure, quia citari de iure non debuit, ex quo appellans frustratorie a vestra presencia recedebat, ut in preall. c. „eum qui“ ²⁾, et processus vester omnino valet, ut in fine eiusdem .c. dicitur expresse. Item ad illud, quod dicit processum non valere ex eo, quod apostolos ei clausos et non apertos concessistis, allegans .c. de app: „ab eo“, li: VI^o ³⁾, dicimus, quod illud .c. hoc non probat, sed dicit, quod intra XXX dies appellandi apostoli dari debent, non determinans utrum clausi vel aperti dari debent, qui sibi dati fuerunt quinto die post appellacionem interiectam, quorum eciam tenorem coram eo legi fecistis, quem postquam audierat, sibi eos clausos dedistis sicut de iure facere debebatis, ut de offic: aleg: cum olym, quos ipse accipiens a presencia vestra recessit. Item dicimus, quod dicere non potest, quod apostolos apertos non habuerit, quia eos a notario, qui acta conscribebat sub manu publica, apertos recepit, quod per ipsum notarium et alios testes ydoneos, coram quibus id actum est, si negaretur, potest clarius apparere.

Item ad id, quod dicit acta sibi esse expresse denegata, dicimus, quod hoc non habet veritatem in facto, quia eorum copiam a notario predicto recepit. Item quod dicit, quod ad probandam suspicionem nos in arbitros consentire noluerimus, dicimus, quod in eos consentire non debebamus nec tenebamur de iure, nam ex quo recusacio proponi non potest, nec super ea erant arbitri eligendi, ut superius est probatum. Quare petimus, quod non obstantibus prefatis excepcionibus et allegacionibus, cum nullius sint momenti, diffinitivam sententiam proferatis, ad quam nobis audiendam est terminus assignatus.

Potentibus itaque procuratoribus domini regis predicti et cum magna instantia postulantibus sententiam diffinitivam proferri, dictus dominus Fridericus, plebanus ecclesie sancti Johannis de Thorun, astante sibi fratre Syffrido procuratore predicto, denuo suas excepciones in scriptis optulit, dicens, istis uti volumus excepcionibus, que sunt tales:

Item excepciones cruc.

Coram vobis venerabilibus patribus, dominis, Janislao, sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, et Domarato Poznaniensi episcopo, et fratre Nicholao, abbate de Mogylna, ord. sancti Benedicti, iudicibus, ut dicitis, a sede apostolica delegatis, ego frater Syffridus, procurator honorabilium virorum... magistri Prussie et fratrum suorum, et commendatorum domorum

¹⁾ Clem. 2. de verbor. signif. V. II. — ²⁾ C. 3. de dolo et contumacia in VI. (II. 6.) vid. sup. p. 33. not. 5. — ³⁾ C. 6. de appell. in VI. (II. 15).

Pomoranie, ord. hospit. sancte Marie Jherosolymitani, virtute protestacionis dudum per me coram vobis proposita, et sepius repetite huiuscemodi, videlicet, quod per ea, que dicerem vel facerem coram vobis, non intenderem in vos tamquam in iudices consentire, sed salvas michi et dominis et fratribus meis predictis omnes excepciones reservavi, declinatorias, dilatorias et peremptorias competentes tam in personas vestras, quam in scriptum, et eciam in processus, primo et principaliter excipiendo propono, quod, cum dominus rex Polonie, qui vos in iudices impetravit super terra Pomoranie, quam petit sibi restitui a magistro, fratribus et commendatoribus memoratis, sit vester dominus in temporalibus, et omnia bona vestra temporalia et ipse ecclesie vestre in suo dominio et districtu sint sita, et obhoc nimis sitis faventes eidem, ego ipsorum nomine et pro ipsis vos in iudices recuso, et certe taliter recusati vos ipsorum iudices non potestis de iure esse, et potissime vos, domine archiepiscopo, qui fuistis balivus et capitaneus terre sue Kalisiensis, et estis de familiari consilio suo, in hac causa iudicare non poteritis recusatus; item non recedendo ab ipsa excepcione iterum excipiendo propono nomine quo supra, quod iure recusamini ut suspecti, et recuso vos propter inordinatissimos vestros processus, quos in ista causa facitis et fecistis, qui, quia sunt nulli et irriti, ex eis nulla sententia ferri potest, et vos nichilominus reddunt certa ratione suspectos et, salva paciencia vestra, iudices iniquos, quia dicit canon. iniquitas omnia precipitat. de pe: di: III. c. „inter hec hyrcum, qui oblatus fuerat“ ¹⁾ Primo reverendi patres errastis in prima citacione, quam fecistis, quia citastis... magistrum Prussie, et quosdam commendatores quarundam domorum Pomoranie, de quibus commissio vobis facta nichil pretendit vel pretendere poterit, quia, ut videtis ad oculum, commissa est vobis causa contra magistrum et fratres domus Theutonice, non contra magistrum Prussie, nec contra commendatores Pomoranie rescripta stricti iuris sunt non extendunt se ad alias personas aut res, quam contineatur in eis; explorati eciam iuris est, quod subditi sine suo prelato maiori in tali causa, que hic movetur, citari ad iudicium non possunt. Magister Prussie subditus est magistro domus Theutonice, similiter et commendatores Pomoranie, ideo sine ipso citari non possunt ad iudicium vestrum; nec dominus papa contra ipsos aliquid commisisset, sed huius iuris providus dominus papa commisit vobis causam contra magistrum et fratres Theutonice domus, non contra magistrum Prussie, nec contra commendatores Pomoranie, quos temere citavistis; item, eo ipso, quod citastis magistrum Prussie et commendatores Pomoranie, quod vobis ex virtute istius rescripti non licuit, nec aliquo modo facere potuistis, abusi estis ipso rescripto, ymmo est ipsum rescriptum perditum per abusum, nec eius virtute poteritis deinceps aliquid iudicare, et certo ex hoc facto, a iure dampnato, actor penam litigancium temere, et vos penam temere iudicancium incidistis, et hec pena tam ab actore, quam a vobis petetur tempore et loco coram iudice competenti. Ad has duas excepciones audietis in allegacionibus iura notissima et verissimas rationes, et probabitur, quod sententia, que post talem citacionem feretur adeo nulla est, quod ab ea appellari necesse non est; nec eciam talis sententia, si qua post talem citacionem ferretur, daret causam vel tytulum prescribendi. Item excipiendo proponitur, quod omnis processus vester nullus est ex eo,

¹⁾ Can. 35. dist. 3. de poenitentia.

quod recepistis testes et alias probationes, et ad hunc actum iudicii parte altera non vocata, quia in hoc offendistis decretales, leges et canones in tantum, quod post has recepciones nulla sententia ferri potest. Sed sicut ex prima excepcione contra vos opposita, ut suspecti recusati estis de iure, ita ex hiis inordinatissimis processibus vestris vos magis reddidistis suspectos, nec potestis quoquomodo procedere ad sententiam, antequam suspicionis excepcio per arbitros fuerit expedita, et nichilominus adeo irriti sunt processus vestri, quod ex hiis ad sententiam procedere non potestis. Item, reverendi patres, citastis dominos nostros ad audiendam sententiam vestram, aut ergo aperte sunt attestaciones aut non; si non sunt aperte, non potest ferri sententia, si sunt aperte, hoc ipsum non valuit, quia factum est non citatis magistro et fratribus, qui utique ad hunc actum fuerant evocandi, quia competebat eis, protestacione premissa, tam in personas eorum excipere, quam in dicta, cum nec ad recepcionem testium, nec ad aperturam eorum attestacionum ipsos citaveritis, iuris ordinem, qui necessario servandus fuerat, non servastis, et ideo nichil egistis. Item, reverendi patres, qui bene videtis commissionem vobis factam, in ipsa manifeste falsum suggestum est, cum dicitur, quod conqueratur dominus rex, quod magister domus Theutonice et fratres spoliaverunt eum terra sua Pomoranie, nam probabitur luce meridiana clarius coram domino papa, vel quovis iudice competenti, quoniam terra illa, nec sua, nec patris sui, nec avi, nec proavi sui fuit, sed post mortem domini Mestwini ad regem Bohemie, et tandem ad marchionem Brandenburgensem, et ab illis ad fratres tytulo iusto devenit, unde rescriptum, quod per improbiteriam obtinetur, nullius momenti est, et non pro concessio habendum censetur. Item, reverendi patres, cum nuper appellatum fuisset a vobis, non dedistis apostolos apertos, quemadmodum debuistis dare de iure, sed dedistis eos clausos prout in actis fatemini, et cum clausi apostoli non fuerint apostoli ut probabitur in allegacionibus, ex hoc negligencia vel malivolencia irritastis vestros processus ita, quod ex ipsis nichil sequi potest. Item quia denegastis copiam prime citacionis vestre, et petitionis domini regis super hiis in figura iudicii, sollempniter requisiti. Item non curastis super causis suspicionum rite propositarum contra vos in arbitros iuris convenire, cum tamen hoc obmisso et suspicione vestra non discussa per arbitros, nichil possitis facere, et siquidem feceritis ipso iure sit irritum et inane.

Iterum autem sepedictis domini regis procuratoribus instantibus et petentibus, ut ipsi domini iudices principale negocium diffinitive sentencie calculo terminarent, eo, quod ad id solummodo terminus esset partibus assignatus, fratre vero Syffrido petente, ut ipsi domini iudices super suis sibi excepcionibus, alioquin ad aliud se converteret, responderent, domini iudices diffinitivam sententiam per dominum Boguslaum, publicum notarium, legi mandaverunt in scriptis, quam idem Boguslaus legit et publicavit eorum mandato et nomine usque ad locum illum „nos igitur“, et tandem venerabilis pater, dominus Janislaus Gneznensis archiepiscopus sepedictus suo et collegarum suorum nomine in illo loco „nos igitur“ incipiens, legit ipsam sententiam et perfecit. Pars vero magistri et fratrum predictorum, audito quod iam diffinitiva sententia ferri deberet, simul cum probatione, leccione, et recitacione ipsius sentencie, in quandam appellacionem prorupit, ita, quod dictus dominus Fridericus appellacionem in scriptis, predictus vero dominus Boguslaus sententiam diffinitivam similiter

in scriptis, insimul legerunt, neutro ipsorum alteri deferente. Appellacionis autem pro parte magistri et fratrum predictorum interposite tenor dinoscitur esse talis:

In nomine domini amen. Cum appellacionis beneficium sit remedium gravatorum et eorum, qui se verisimiliter metuunt pregravari, hinc est, quod ego, frater Syffridus, presbyter et procurator religiosorum virorum, fratris Friderici dicti de Wyldenbergh, magistri Prussie et Pomoranie, ord. hospit. sancte Marie Jherosolymitani de domo Theutonica, commendatorumque Pomoranie ord. antedicti, constitutus coram vobis dominis reverendis, domino Janislao, sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, et Domarato, Poznaniensi episcopo, ac fratre Nicholao, abbate de Mogylna ord. beati Benedicti, qui vos dicitis iudices a sede apostolica delegatos in causa, quam movet vel movere intendit inclitus princeps, dominus Wladislaus rex Polonie dominis et fratribus meis predictis, de recusacione vestra propositis legitimis excepcionibus nec admissis eis, videlicet, quod cum ipse dominus rex prefatus sit vester dominus in temporalibus bonis vestris, et vos in causa domini vestri invita parte alia esse iudices non potestis, item ut suspecti recusati fuistis propter inordinatissimos vestros processus, quos in eadem causa vobis commissa fecistis, qui quia sunt nulli et irriti, ex eis nulla sententia potest ferri, primo, quia nunquam citastis magistrum domus Theutonicorum, contra quem causa est commissa, sicut et non aliter committi de iure potuit, sed citastis magistrum Prussie et quosdam commendatores Pomoranie, contra quos vobis specialiter nichil commissum est nec committi consuerit a curia de hac causa, nec possunt isti fratres, quos citastis, sub generalitate in commissione posita specificè comprehendere, quia non possunt in iudicium deducere rem petitam, scilicet terram Pomoranie, ideo isti absque magistro domus Theutonicorum citari ad causam non poterant nec debebant. Postea citastis commendatorem de Dyrschowe ad audiendum sententiam vestram, quem tamen prius nunquam ad aliquem actum priorem vestri iudicii citavistis, qui, si secundum vos citari poterit, quod absit, ad audiendam sententiam vestram, nescio quo iure ad actus priores vestri iudicii non debuit evocari. Denique recepistis testes super negotio principali, scilicet terra Pomoranie, et eos iurare fecistis et examinari, ad illum actum iudicii non citato magistro domus Theutonicorum, nec citatis magistro Prussie et commendatoribus Pomoranie, quos modo ad audiendam diffinitivam sententiam perperam evocastis, qui tamen si citari poterant secundum vos ad actus priores, eciam ad hunc actum iudicii fuerant evocandi, ita quod quidquid, eis sicut magistro domus Theutonicorum et fratribus non vocatis, coram vobis testificatum dicitur, illud est irritum ipso iure. Eciam ipsa vobis facta commissio per abusum deperdita est ex eo, quod specificè citastis quasdam personas in ipsa commissione non expressas, videlicet commendatores Pomoranie, nec eciam comprehensas. Postea et post appellacionem legitimam a nobis interpositam processistis, cuius adhuc prosequcio pendet in curia, et in eadem appellacione apostolos non dedistis, ut debebatis de iure, sed quandam sigillis vestris litteram clausam, ut fatemini in actis, misistis ad dominum papam, que vim apostolorum habere non potest de iure, ex qua tamen negligencia vel malivolencia vos ipsi vestros irritastis processus, ut apparet. Item intenditis ferre sententiam nondum apertis attestacionibus, nec aliis probacionibus, si que producte sunt in medium, et publicatis, quas si dixeritis publicas vel apertas, nec hoc valet nec relevat, quia ad hunc actum altera pars vocata non fuerat prout

Appellacio
cruc.

de iure debebat. Denique super recusacionibus contra vos per legitimas excepciones propositis non dignamini requisiti in arbitros convenire, in quos ipse magister et fratres vobiscum convenirent, licet tamen ex superhabundanti hoc fieret, cum excepciones propositae tam in facto, quam in iure, quam etiam ex ipsis actis et sint liquide, et appareant esse notorie. Item quia solempniter requisiti in iure prime citacionis vestre et petitionis domini regis nobis copiam denegastis, sed hiis posthabitis nec admissis ad ferendam sententiam properatis, que tamen nec nomen sentencie habere merebitur, ut patebit. Ex hiis sciens predictos dominos meos, magistrum Prussie, et fratres, et commendatores Pomoranie, et me, et totum ordinem meum pregravatos per vos, et metuens acrius pregravandos, ideo ego, frater Syffridus, procurator predictorum magistri Prussie, et fratrum, et commendatorum Pomoranie, nomine ipsorum et totius ordinis, et pro ipsis in hiis scriptis sedem apostolicam appello, et apostolos peto, et iterum peto, et cum instancia peto, prefatos dominos magistrum Prussie et fratres cum omnibus rebus, terris et bonis, et omnibus ipsis adherentibus et adherere volentibus, et totum statum et ius eorum, eiusdem sancte sedis proteccioni et defensionis humiliter submitto.

Diffinitive vero sentencie, quam, ut dixi, dominus Boguslaus legit usque ibi „nos igitur“ et dominus archiepiscopus assumpsit in eodem loco, „nos ig.“ et ad finem legit et perfecit, tenor sequitur in hec verba:

Sentencia
diffn.

In 1) nomine domini amen. Exorta coram nobis, Janislao, divina et apostolice sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, Domarato, dei gracia episcopo Poznaniensi, et fratre Nicholao, abbate de Mogylna Gnezn. dyoc., ord. beati Benedicti, iudicibus a sede apostolica delegatis inter inclitum principem, dominum Wladislaum regem Polonie illustrem, ex parte una, et religiosos viros, magistrum et fratres domus sancte Marie Theutonicorum, ex altera, super terra Pomoranie materia questionis, sanctissimus pater dominus Johannes, sacrosancte Romane ecclesie summus pontifex, suas nobis direxit litteras in hec verba: „Johannes episcopus servus servorum dei etc. ut supra, nos igitur iuxta formam mandati nobis directi prefatos magistrum et fratres ad nostram fecimus presenciam evocari. In termino itaque peremptorio ipsis partibus per nos assignato, discreti viri, domini Phylippus, cancell. regni Polon., et Sbyscho, cancell. Syradiensis, tunc subcancell., ac magister Johannes, canonicus Rudensis, procuratores eiusdem regis domini, nomine procuratorio ipsius comparuerunt coram nobis, suum procuratorium exhibentes, cuius tenor talis est: „Universis presentes litteras inspecturis Wladislaus dei gracia etc. ut supra; ex parte vero dictorum magistri et fratrum, frater Syffridus de Papow, eiusdem ordinis procurator eorum similiter comparuit, et procuratorium exhibuit in hec verba: „In nomine domini amen. Noverint universi presentem litteram inspecturi etc. ut supra. Quibus procuratoriis exhibitis memoratus procurator magistri et fratrum ex causa minus rationabili et frivola a nobis ad sedem apostolicam appellans, a presenciam nostra recessit. Nos itaque attendentes, quod in causa eadem non obstante eiusdem procuratoris absencia procedere poteramus, prefatis procuratoribus domini regis instanter petentibus, petitionem ipsorum recepimus in hec verba: „Coram vobis vene-

1) Typis exc. Dogiel cod. dipl. IV. 43.

rabilibus patribus, dominis Janislao, archiepiscopo Gneznensi etc. ut supra. Qua recepta et diligenter discussa, considerantes iuxta tenorem litterarum apostolicarum, quod in causa eadem posset lite non contestata procedi, receptis testibus pluribus ydoneis pro parte domini regis, et eis secreto et sigillatim examinatis, attestacionibusque ipsorum apertis et publicatis, ac ipsius cause meritis plene discussis, parte dictorum magistri et fratrum citata ad diffinitivam sententiam audiendam, et procuratore ipsorum predicto coram nobis in termino ad hoc prefixo constituto, prehabita nobiscum deliberacione sufficienti, et communicato consilio sapientum, procuratoribus prefati domini regis presentibus, et sententiam proferri cum instantia postulanti, dei nomine invocato, quia iidem procuratores domini regis intencionem suam clarissime probaverunt, predictos magistrum et fratres domus sancte Marie Theutonicorum, ac dictum fratrem Syffridum, procuratorem ipsorum, presentem eorum nomine, et commendatores de Gdanczk, de Gmeua, et de Swetze, qui dictam terram Pomoranie possident, ad restitutionem eiusdem terre cum suis pertinenciis, et ad solucionem triginta milium marcharum monete et ponderis regni Polon., ratione fructuum perceptorum et qui percipi potuerunt ex illa, prout procuratores iidem violencia illata probata per testes quantitatem predictam fructuum per suum iuramentum legitime probaverunt, et ad satisfaccionem expensarum in causa factarum prefato domino regi Polonie seu procuratoribus ipsius predictis faciendum, in hiis scriptis sentencialiter condemnamus, quas quidem expensas ad centum quinquaginta marchas grossorum Pragensium taxamus, eo, quod procuratores domini regis prefati se eas dixerunt in hac causa expendisse, prout suis declaraverunt iuramentis. Lata est hec sententia etc.¹⁾

Lectis autem sententia et appellacione huiusmodi, domini iudices protestati sunt, quod parati fuissent excepciones fratris Syffridi, procuratoris predicti, audire, si loco et tempore debitis fuissent propositae, et super eis facere, quod iusticia exegisset. Lata igitur diffinitiva sententia sepedictus frater Syffridus, procurator quandam appellacionem ab ea interponi et legi fecit, que est talis:

In nomine domini amen. Sicut omnis qui gemebat et vexabatur a Saul, ad David confugerat, ut eius presidio respiraret, sic omnis oppressus iniuste per iniquam sententiam iudicis vel processum ad verum David, omnium ecclesiarum dominum et pastorem, patrem videlicet sanctissimum, summum pontificem per appellacionis beneficium affugit confidenter, hinc est, quod cum vos reverendi patres et domini, domine Janislave, sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, et domine Domarate, Poznaniensis ecclesie episcopo, et frater Nicholae, abbas de Mogylna, ord. sancti Benedicti, qui vos dicitis iudices a sede apostolica delegatos in causa, quam inclitus princeps, dominus Wladislaus rex Polonie, coram vobis movit dominis et fratribus meis, magistro Prussie et commendatoribus Pomoranie, super ipsa terra Pomoranie, ut liquet ex actis, non obstantibus legitimis excepcionibus de recusacione et suspicione vestra, de annullacione, et abusu rescripti apostolici vobis directi, et de inordinacione et annullacione totius processus vestri, per me, fratrem Syffridum, procuratorem eorum propositis, nec ad missis, et non obstante legitima appellacione ex eisdem excepcionibus interposita a vobis,

Appellacio
a diffin.

¹⁾ Dogiel: in ecclesia s. Nicolai Juveni Wladislaviae, Wladisl. dioec. post missam IV idus Febr. a. domini 1322. (1321.)

iniquam sententiam contra deum et iusticiam, et contra omnem iuris ordinem, in dictorum dominorum meorum preiudicium protulistis, quam quidem sententiam nullam dico, sed si aliqua dici posset, quod omnino non credo, ab ipsa tamquam iniqua, nomine dictorum dominorum meorum et pro ipsis, et ex parte totius ordinis, in hiis scriptis ad sanctam apostolicam sedem appello, et apostolos peto, et iterum peto, et cum instantia peto, me, et eos, et terram Pomoranie, et statum fratrum, et omnia bona et iura ordinis memorati, eiusdem sancte sedis proteccioni et defensionis humiliter submittendo.

Protestacio. Demum idem frater Syffridus, procurator, quandam protestacionem legi in scriptis mandavit coram ipsis iudicibus sub hiis verbis:

In nomine domini amen. Ego frater Syffridus, procurator honorabilium virorum, magistri et fratrum Prussie, et commendatorum Pomoranie, peto a vobis venerabilibus patribus, dominis Janislao, sancte Gnezn. ecclesie archiepiscopo, Domarato, Poznaniensis ecclesie episcopo, ac fratre Nicholao, abbate de Mogylna, ord. sancti Benedicti, iudicibus ut dicitis a sede apostolica delegatis in causa, quam inclitus princeps, dominus Wladislaus rex Polonie, super terra Pomoranie predictis dominis et fratribus meis movit, in qua causa vos contra ipsos fratres diffinitivam sententiam contra deum et iusticiam protulistis, mox copiam actitatorum coram vobis, et sine alia temporis interpolacione, michi dari mandetis, quia vos, tamquam adversarios et iniquos iudices, iure habeo et habebo de mutacione actorum suspectos, quare protestor in hiis scriptis, quod, si hac vice copiam actorum petitorum denegaveritis, vel non dederitis quoquomodo, ipsa acta deinceps, tamquam suspecta, non possint, nec debeant astruere fidem vestram, presertim cum ego paratus sim impensos deponere pro scriptura; protestor eciam, quod per hanc petitionem et protestacionem meas non intendo ab appellacionibus interpositis recedere, sed per eas ipsarum appellacionum prosecutiones intendo forcius adiuvare.

Lecta igitur et facta protestacione premissa, cuius eciam copia, sicut et dictarum appellacionum copie parti adverse sunt date, domini iudices ipsi fratri Syffrido, procuratori, omnium coram eis actitatorum dari copiam mandaverunt. Tandem omnibus hiis peractis, fratre Syffrido, procuratore prefato, petente apostolos sibi dari, domini iudices memorati eidem fratri Syffrido, duodecimo kal. Marcii in Brescze Wlad. dyoc. de consensu procuratoris eiusdem terminum pro dandis apostolis prefixerunt. Actum, anno, die, hora, loco, indiccione, quibus supra, presentibus dominis, Nicolao decano, Gerlibo scolastico Gneznensis, Johanne archidiacono Poznaniensis, Petro cantore Wlad. ecclesiarum, Johanne cancell. Czyrnensi et aliis multis.

Febr. 18. Anno igitur quo supra, duodecimo kal. Marcii, venerabilibus patribus, dominis Janislao, archiepiscopo Gneznensi, et Domarato, episcopo Poznaniensi, iudicibus supradictis, in ecclesia parochiali Brestensi, Wlad. dyocesis, post vespervas convenientibus, frater Syffridus, procurator predictus, petivit instanter apostolos, prout sibi pro eis dandis terminus per ipsos dominos iudices fuerat assignatus; domini vero iudices iam pretacti sibi super prima eius appellacione dari mandaverunt apostolos, quos ibidem legi coram eo fecerat huiusmodi sub tenore:

Apostoli primi. Sanctissimo in Christo patri ac domino, domino Johanni, sacrosancte Romane ecclesie summo pont., Jan. Gnezn. archiepiscopus, et Domaratus Poznaniensis episcopus, cum recom-

mendacione humili pedum oscula beatorum. A veneranda vestra Sanctitate recepimus in mandatis, quod causam, que vertitur inter inclitum principem, dominum Wladislaum regem Polonie illustrem, ex parte una, et . . magistrum ac fratres domus s. M. Th. super terra Pomoranie, ex altera, summarie, de plano ac sine strepitu et figura iudicii cognoscentes, ipsam fine debito decidere deberemus, prout in scripto vestre Sanctitatis nobis directo plenius continetur; cuius tenor dinoscitur esse talis: Johannes episcopus, servus servorum Dei, etc.¹⁾ Nos igitur iuxta formam vestre beatitudinis litterarum, predictos . . magistrum et fratres ad nostram presenciam fecimus evocari, et in termino prefixo procuratoribus do. regis comparentibus coram nobis, frater Syffridus ord. dom. supradicte, procurator dictorum magistri et fratrum cum mandato legitimo ad agendum et defendendum, comparens et ex causa minus rationabili a nobis ad apostolicam sedem appellans, a nostra presenciam sic recessit. Nos itaque attendentes, quod in causa eadem non obstante dicti procuratoris absencia posset procedi, et considerantes, quod in ipsa iuxta tenorem dictarum litterarum lite non contestata procedere valeremus, receptis testibus pluribus ydoneis pro parte do. regis productis ipsisque diligenter examinatis et dictis ipsorum apertis et publicatis, ac ipsius cause meritis plene discussis, predictos magistrum et fratres dom. s. M. Th., ac dictum fr. Syffridum citavimus ad diffinitivam sententiam audiendam,²⁾ instantibus procuratoribus prefati do. regis et sententiam proferri postulantibus. Dictus procurator magistri et fratrum predictorum comparuit coram nobis et quasdam excepciones proposuit dilatorias, prout in actis coram nobis habitis clarius continetur, procuratoribus dicti do. regis allegantibus, quod he excepciones locum non haberent, cum de causa sit cognitum et quasi conclusum in ipsam, et non nisi ad sententiam diffinitivam audiendam partes ad iudicium sint vocate. Nos itaque auditis hincinde propositis, nobiscum et cum iurisperitis deliberacione prehabita diligenti, respondimus dicto procuratori, quod excepciones istas parati fuisset audire, si loco et tempore debitis fuissent propositae vel oblate. Et sic procuratoribus prefati regis instantibus et sententiam proferri cum magna instancia postulantibus, diffinitivam sententiam protulimus. Quam cum ego Janislaus archiepiscopus predictus meo et collegarum meorum nomine legem, dictus procurator magistri et fratrum predictorum prolationem ipsius sentencie impediens, nec iudiciali auctoritati deferens, cum strepitu et rumore in quendam appellacionem prorupit, quam legit et in scriptis nobis porrexit; cuius tenor dinoscitur esse talis: In nomine domini amen. Cum appellacionis beneficium sit remedium gravatorum etc.³⁾ Cui appellacioni, cum sit interposita ex causis frivolis et quibusdam non veris, non duximus tamquam frivole deferendum, dicto fratri Syffrido petenti instanter apostolos, presentes litteras nostrorum sigillorum appositione munitas pro apostolis refutatoriis concedentes.

Item (iudices) super secunda eius appellacione, lectos primo coram se et procuratore predicto, sibi dari mandaverunt apostolos in hec verba:

Sanctissimo in Christo patri ac domino etc. ut s.⁴⁾ Vestre Sanctitati tenore presencium facimus manifestum, quod cum decisio cause, que vertitur inter inclitum principem do. Wla-

Apostoli
secundi.


¹⁾ Vide pag. 2. ²⁾ Quae largius typis sunt expressa, in autographo desunt et conjectura sunt restituta. ³⁾ Vide pag. 37. ⁴⁾ Vide pag. 8 et 40.

dislaum, regem Polonie illustrem, ex parte una, et religiosos viros . . magistrum et fratres domus s. M. Th., ex altera, super terra Pomoranie, nobis per vestras litteras delegata fuerit in hunc modum: Johannes episcopus, servus servorum dei, etc.¹⁾ Nos igitur vocatis legitime, qui fuerant evocandi, et in termino peremptorie ipsis partibus assignato procuratoribus prefati dom. regis comparentibus coram nobis, fr. Syffridus Papow eiusdem ordinis, procurator dictorum magistri et fratrum comparens, tandem ex causa minus rationabili et frivola a nobis ad sedem appellans apostolicam, a nostra presencia abiit et recessit. Nos attendentes, quod in causa eadem, non obstante eiusdem procuratoris absencia procedere valeremus, et considerantes, quod iuxta tenorem litterarum apostolicarum in causa eadem posset lite non contestata procedi, receptis testibus pluribus ydoneis pro parte dom. regis et eis secreto et singillatim examinatis, attestacionibus eorum apertis et publicatis ac ipsius cause meritis plene discussis, parte dictorum magistri et fratrum citata ad diffinitivam audiendam, et procuratore ipsorum predicto coram nobis in termino ad hoc prefixo constituto, procuratoribus prefati dom. regis presentibus et sententiam diffinitivam cum instantia proferri postulantibus, contra predictos . . magistrum et fratres dom. s. M. Th. et contra dictum fr. Syffridum procuratorem eorundem, sententiam diffinitivam protulimus iusticia exigente. A qua prefatus fr. Syffridus procurator, ad dictam sedem apostolicam in scriptis appellans, apostolos petiit sibi dari. Cuius appellationi, cum coram nobis clarissime probatum sit et per facti evidenciam in partibus nostris notorium existat, quod prefatus dom. rex prelibatam suam terram Pomoranie possidebat, et ea fuit per dictos magistrum et fratres seu eorum potenciam et violenciam spoliatus, non duximus aliquammodo deferendum, sententiam nostram iuxta tenorem scripti Sanctitatis vestre exequcioni mandantes, et sepefato fr. Syffrido, procuratori magistri et fratrum dictorum petenti apostolos, presentes pro apostolis refutatoriis dari mandavimus litteras nostrorum sigillorum appositione signatas.

Lectis igitur his apostolis, domini Sbyscho cancellarius et Johannes canonicus Rudensis, procuratores dom. regis predicti, petiverunt instanter, ut, cum ipsi domini iudices appellationibus fr. Syffridi tamquam frivolis non decreverunt deferendum, sicut nec de iure debebant, ad evitandum cuiuslibet falsitatis commercium, clausos dicto fr. Syffrido darent apostolos, suorum sigillorum munimine consignatos. Quod dicti iudices fieri censuerunt. Quo audito fr. Syffridus procurator predictus, prescriptorum apostolorum petiit copiam sub manu publica sibi dari. Domini vero iudices copiam hiis sibi fieri mandaverunt. Actum anno, die, hora, loco et indiccione, quibus supra, presentibus dom. Nicolao Gneznen., Mathia Wladislavien. ecclesiarum decanis, Gerlibo Gneznen., Alberto Wladislavien. earundem ecclesiarum scolasticis, Johanne Poznanien. archidiacono, Petro cantore Wladislavien. ecclesiarum, et aliis testibus quampluribus fidedignis.

Et ego Nicholaus filius quondam Ludowici dicti de Stregonio, clericus Poznanien., publicus imperiali auctoritate notarius, qui premissis omnibus, exceptis duntaxat duobus ter-

¹⁾ Vide pag. 2.



minis, ve. in crastino Jeronimi conf. et in crastino Agnetis virg. bb., que quidem, sicut et quorundam dicta testium, quorum examinacioni non interfui, prout per do. Boguslaum, publicum notarium in actis fuere reposita, hic conscripsi, acta huiusmodi copiaui, scripsi, in hanc publicam formam redegi, meisque consueto signo et nomine signavi rogatus.

Octob. 1,
Jan 22.

Item anno quo supra, in crastino dominice Invocavit, in predio dicto Muryn Wladislavien. dyoc., in presencia mei, notarii sepedicti et testium subscriptorum honorabilis vir do. Fridericus Dr. decr., pleban. eccl. S. Johannis de Thorun predictus, ex parte . . . magistri et fratrum predictorum extitit protestatus, quod per receptionem istorum actorum,

Mar. 9.

que sibi tunc presentavi, predicti fratres non approbarent eadem acta, sed saluum ius sibi reservabant impugnandi ea excepcionibus competentibus, suis tempore et loco coram iudice competenti, petens hanc protestationem hiis actis annecti per manum mei, notarii supradicti. Quod et feci presentibus Jacobo sacerdote, Rodgero et Johanne clericis, testibus ad hoc vocatis et rogatis.

Litterae executoriae.

(ad fidem apographi Archivi Regii Regiomontani.)

Jaroslaus, divina et apostolice sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, et Domaratus, dei gracia Poznaniensis ecclesie episcopus, ac frater Nicolaus abbas de Mogilna, ordinis sancti Benedicti, Gneznensis dyocesis, iudices a sede apostolica delegati, religiosi viri fratribus de sancto Adalberto, ordinis sancti Benedicti, et de Zukow, ordinis Premonstratensis, prepositis, Wladislaviensis dyocesis, et discretis viris . . . de Gdanczk et . . . de Derschowia plebanis salutem in domino et mandatis apostolicis firmiter obedire. Noverit discretio vestra, quod cum sanctissimus in Christo pater, dominus Johannes XXII,¹⁾ sacro-

¹⁾ in apographo 2us, quod in 22us est corrigendum.

sancte Romane ecclesie summus pontifex, recepta querela serenissimi principis Wladislai, regis Polonie illustris, nobis suis dedisset litteris in mandatis, quodsi vocatis partibus inveniremus, quod religiosi viri, magister et fratres domus sancte Marie Teutonicorum, ipsum dominum regem terra sua Pomeranie, que est pars regni Polonie, in cuius possessione ipse dominus rex tunc erat pacifica et quieta, per potentiam et violenciam spoliassent, ipsos ad restitutionem ejusdem terre et ad solucionem fructuum perceptorum et qui percipi potuerint a tempore ejeccionis seu spolacionis eidem domino regi faciendas per censuram ecclesiasticam compellere auctoritate sedis apostolice deberemus, nos memoratos magistrum et fratres ad nostram presenciam ad certum terminum fecimus evocari. Quibus per procuratorem suum comparentibus et tandem ad sedem apostolicam ex causis, quas frivolas reputamus, appellantibus, ¹⁾ et se per contumaciam absentantibus, datis eis apostolis refutatoriis, et oblatis petitionibus predicti domini regis per procuratores ejusdem, testes plures pro parte ipsius recepimus, prout nobis ex forma rescripti apostolici competebat. Et quia invenimus, clare et sufficienter probatum esse, quod dicti magister et fratres prefatum dominum regem et alios, qui suo nomine dictam terram Pomeranie possidebant, eadem cum castris, munionibus, villis, vasallis, fructibus, redditibus et proventibus, aggregatis exercitibus, effuso multo sanguine christiano, per violenciam spoliaverunt, eis ad diffinitivam sentenciam audientiam specialiter citatis ²⁾ et per fratrem Syffridum procuratorem ipsorum comparentibus coram nobis, ad instanciam procuratorum domini regis eciam tunc presencium, ipsos magistrum et fratres ad restitutionem dicte terre Pomeranie cum suis pertinenciis et ad solucionem triginta milium marcarum monete regni Polonie ratione fructuum perceptorum et qui percipi potuerint, et centum et quadraginta marcas pro expensis in lite factis per nostram diffinitivam sentenciam iam diu condempnavimus. ³⁾ Volentes igitur, ut eadem sentencia, prout juris est, debitum ⁴⁾ sorciatur effectum, vobis auctoritate sedis apostolice et cuilibet vestrum in hiis scriptis firmitus, ⁵⁾ si hoc nostrum ymmo verius apostolicum mandatum neglexeritis aut contempseritis adimplere, iniungimus et mandamus, quatenus accedentes personaliter ad commendatores de Gdanczk et Derschowia (cum ad magistrum et fratres alios executores cum nostris similibus monicionibus in mandatis et sentencia ipsa destinemus), commendatores primo, secundo et tercio canonice moneatis, ut prefatam terram Pomeranie dicto domino regi cum omnibus et singulis pertinenciis suis, prout superius est expressum, infra spacium unius mensis restituant et triginta milia marcarum predictae monete ratione fructuum perceptorum et qui percipi potuerint et centum et quadraginta marcas pro expensis in lite factis persolvant eidem infra quatuor menses a die, quo vobis presentes littere date et exhibite fuerint, computandos. Alioquin nos dictos commendatores, qui prefatam terram Pomeranie detinent specialiter occupatam, exnunc prout extunc excommunicamus auctoritate sedis apostolice in hiis scriptis et fratres ordinis eorum, qui morantur cum ipsis, suspendimus a divinis, et terram Pomeranie, que est pars (sic) in dyocesi Gneznensi et pro parte in dyocesi Wladislawiensi, auctoritate predicta in scriptis eisdem

¹⁾ appellantibus deest in apographo. ²⁾ citamus in apographo. ³⁾ condempnandos in apographo.

⁴⁾ abutum in apographo. ⁵⁾ Scil.: et sub poena arbitraria.

exnunc prout extunc ecclesiastico subicimus interdicto, prohibentes in ea omnia ecclesiastica sacramenta, exceptis penitencia debilium et baptisate parvulorum, sepultura ecclesiastica specialiter interdicta, vobis sub predicta poena districte mandantes, quatenus dictos commendatores denunciatis in vestris ecclesiis et in aliis, ubi expedire videritis, denunciari faciatis publice excommunicatos, pulsatis campanis et candelis extinctis, omnibus diebus dominicis et festivis, et prefatam interdicti sententiam mandetis auctoritate eadem firmiter et inviolabiliter observari, donec memorati commendatores, satisfactione premissa, a nobis absolucionis beneficium meruerint obtinere. Quidquid autem egeritis in premissis, nobis rescribatis per vestras litteras, harum seriem continentes. Super exhibicione vero presencium literarum vobis vel uni vestrum facienda nostro iurato nuncio, latori presencium, adhiberi volumus plenam fidem. Datum apud Brescz nonis Julii anno domini 1321 Jul. 7. MCCCXXI.

Hanc literam, qui primus executor receperit, cum aliis collegis suis conveniat et mandatum hoc omnes exequantur.

Ista bulla est in etate XC. annorum precise.¹⁾

¹⁾ Unde sequitur apographon hoc a. 1411 scriptum esse.

Quae ad paginam 40 patent, vivente etiamtum Ill. comite Tito Działyński, opera Ill. rerum scriptoris Roepell exarata erant, in iis autem, quae sequuntur, edendis Ill. Philippi, archivi Regio montani praefectus, editorem lubenter adjuvit. Quibus viris pro opera in hanc editionem impensa maxima debetur gratia.



ERRATA.

Pag. 1 v. 15	pro	Posnaniensi	lege	Posnaniensis
" 2 " 25	"	culmensis	"	Culmensis
" 7 " 29		et deleatur		
" 9 " ult.	"	fratris	lege	fratris
" 9 " "		post exhibitis interpunctio delenda.		
" 14 " 3	pro	Myschyngius	lege	Myschyugius
		(idem pag. 16 v. 30, et pag. 17 v. ult).		
" 14 " 18	"	immeditate	lege	immediate
" 16 " 1	"	Machinis	"	machinis
" 17 " 38	"	ym	"	ymo
" 20 " 31	"	Michael	"	Michahel
" 21 " 38	"	noc	"	hoc
" 23 " 26	"	Primilius	"	Primislius
" 24 " 17	"	fugerat et nunciavit	"	fugerat, nunciavit
" 24 in margine	pro	crestens	"	Brestens.
" 28 v. 33	pro	Woyschato	"	Woyschaco
" 29 " 16	"	beati	"	beate
" 29 " 31	"	agnetis	"	Agnetis
" 29 " 34	"	Kazome	"	Kazonie
" 29 " 37	"	quam	"	quarum
" 30 " 37		ante domini deleantur...		
" 30 " 40	pro	Camencz	"	Camenczk
" 33 " 30	"	hec	"	hac
" 35 " 33	"	Pomoranie rescripta	"	Pomoranie. Rescripta
" 40 " 39	"	fecerat	"	fecerant



